DIALECTICA

JOAN. SETONI CANTABRIGIENSIS, ANNOTATIONIBUS

PETRI CARTERI,

UT CLARISSIMIS

ITA BREVISSIMIS

EXPLICATA.

Huic accessit, ob artium ingenuarum inter se cognationem,

GULIELMI BUCLAEI

Arithmetica.

Emendatissimè excusa.

CANTABRIGIÆ,

Ex Academiæ celeberrimæ typographeo. 1631.

ἸΩΆΝΝΗΣ ΧΉΚΟΣ.

Ὃ Υ κρεῖττον ἐδὲν ὑδὲ τῆς Διαλεκτικῆς,
Ἣν θριγκὸν εἶναι τῶν τεχνῶν Πλάτων λέγει·
Ταύτην ΣΉΤΩΝΟΣ πάνυ καλῶς τε κἀγαθῶς
Τοῖς φιλοπόνοις νέοισιν ἐισηγήσατο,
Σαφῶς τε σαυτόμως τε καὶ μάλα τεχνικῶς·
Ταύτην γίνωσκ' οὖν, καὶ προθύμως μάνθανε·
Διδάσκαλον αὐτὸν οὐχ ἕνα τῶν πολλῶν ἐρεῖς·
Χρύσιππον ἢ τὸ Ἀριστοτέλη μᾶλλον φράσεις.

ῬΊΧΑΡΔΟΣ Ὁ ΣΤΈΦΑΝΟΣ

Ἀγγλὸς Πέτρῳ τῷ Καρτέρῳ
εὖ πράττειν.

ΚΆΡΤΕΡΕ Μουσοτρόφοις πολὺ φίλτατε ποιητῆσι,
Τῆς Λογικῆς ῥητῶν οὐκ ἐλάχιστε σοφῶν·
Ναὶ σύ γε πολλὰ μόγησας, Ἀριστοτέλους περὶ τέχνης
Χρήσιμα πολλὰ γράφων λυσιτελῆ τε νέοις·
Ὥστ' ἐς ῥητήμας πρόμαχον χ' ἡγήτορα σεμνὰς
Σαυτὸν ἀεὶ παρέχειν ταῖς μελέτησιν ἄγαι·
Τῆς σπουδῆς ἀγάμαι, τῆς εἵνεκεν οὐχὶ τυχούσης
Ἄξιός ἐστι τυχεῖν, ΚΆΡΤΕΡΕ καλέ, τύχης.

CLARISSIMO PRÆSULI EPISCOPO WINTONIENSI, SUMMO HUJUS ACADEMIÆ CANCELLARIO.

REverendam tuam Dominationem (amplissime præsul) nobis multis nominibus desideratam, ad Michaelis festum avidè expectavimus; fore putantes, te præsente (quo nihil habet hic orbis desertius) ut literarum studia, quæ jam diu desensorum inopiâ penè emarcuerant, jam denuo velut vere novo, arborum instar, reflorescerent. Huic sic exoptato adventui tuo, hunc qualemcunque de re Logica libellum, licèt tanto præsule indignum, adornavimus. Cui enim potiùs quàm tibi cancellario nostro honorando dicarem, cujus unius judicio, quàm mille cæterorum calculis mallem approbari? Nec quicquam equidem hinc venor aliud, quàm ut gratam animi erga Dominationem tuam significationem declararem. Necessitate eram coactus hac olim aggredi lucubrationes ante septennium, cùm in nostris ædibus publici prælectoris officio præsidebar. Nam posteaquam regio decreto profligata fuit dialecticorum turba, nullum habui ad manum idoneum autorem, quem studiosæ juventuti (quam instituendam suscepissem) prælegerem. Aristoteles, licèt summus naturæ interpres, tamen difficiliquadam sublimitate teneriores, qui recens logicam auspicabantur, deterruit: nec quemvis lectorem desiderat, sed acutum, ingeniosum, eruditum, multâq; lectione imbutum: alioqui, si hæc desint, frustra evolvitur. Rodolphus ex professo inventionem, alteram tantùm dialectices partem, tractat: nec is parvulorum ingeniis, qui parvos adhuc in literis progressus fecerunt, facilis. Melanchthon stylum suum non tam ad discentem, quàm docentem, videtur adtemperâsse. Reliqui verò recentiores, dum rerum flosculos & orationis delicias persequuntur, lectorem nonnunquam inani potiùs oblectamento delinire, quàm

rem ipſam docere ſtudent. Ariſtotelem autem (quo nihil ſubtilius, ſolidius, aut nervoſius) iis qui tantæ doctrinæ videbantur capaces, ſum interpretatus: interim ſurtivis horis hanc operam his lucubrationibus impendens, in hunc præcipuè uſum, ut Ariſtotelem meo ſtudio redderem faciliorem, & adoleſcentibus magis familiarem. Nondum abſoluto opere, cœptus eſt juvenum manibus teri hic libellus quinquennium. Fruſtra me interea loci ad editionem ſolicitantibus venerandis viris Medcalfo, Dalo & Talero, collegii noſtri præpoſitis. Magna erat (fatcor) horum in me authoritas, non parvi pendebam tam inſignium virorum conſilium, nec invidebam juventuti ſuum commodum. Verùm neceſſitatis potius quàm famæ acquirendæ gratiâ, hic à me ſuſceptus erat labor. Tandem ubi cœpit hic liber & aliena intrare collegia, juventutiſque manibus paſſim teri, adeunt me amici mei Checus, & Watſonus, viri ſingulari eruditione, & complures alii pereruditi: minantur non deeſſe, qui me invito hoc opus evulgare & typographis credere ſtudent. Sæpenumero hanc mihi, ſed ſurdo, cecinêre cantionem. Secundò verò, quum mihi in officio ſucceſſit, vir doctus & prudens, ſcribentium mendas diu pertæſus, ſupra modum eſflagitavit editionem: addens (quod & ipſe prius animadverterem) pulchrè profeciſſe eos, qui hactenus huic ediſcendo libello inſudaverant, nec dubitare quin longè majore cum fructu legeretur, ſi typis ſemel excuderetur.

Quid multa? victus tandem tot importunis amicorum admonitionibus & precibus, opus ipſum his Natalitiis feriis, non minùs profectò diligentiâ, quàm priùs in initio fuit editum, recognovi. Quod ſi tuæ clariſſimæ Dominationi ulla ex parte probatum iri intelligam, voto meo abundè erit ſatisfactum. Imò verò animos dabis majora aliquando (Deo volente) aggrediendi. Interim ampliſſimam tuam Dominationem CHRISTUS OPTIM. MAXIM. ſervet nobis, precor, diu in ſumma dignitate incolumem. Decimo octavo Kalendas Februarii, Cantabrigiæ ex collegio Divo Joanni dicato.

Reverendæ tuæ Dignitatis ſtudioſiſſimus,
J. SETONUS, dicti collegii ſocius.

HONORATISSIMO ET CLARISSIMO VIRO AC DOMINO D. EDOVARDO,

Doroventanæ provinciæ comiti, Monæ insulæ Hebridum celeberrimæ regulo, nobilissimi Gatteriorum ordinis equiti auratо, &c. literarum Patrono benignissimo.

IN magno pudore (honoratissime vir) quo primum eram tumultus, dum ad te tum clarum & illustrem, planè ipse humilis & ferè omnibus ignotus, scribere mecum decrevissem, duo ista maximo mihi solatio fuerunt, quod & hujusmodi observantiæ erga Celsitudinem tuam officium neutiquam à prudente quopiam reprehendendum fore sperabam: & quod te ipsum, pro more vestræ nationis nobilium, bonarum artium præcipuo quodam amore flagrare intelligerem, ut cum illarum studia in aliis excitare & erigere, tum eadem etiam singulari quodam patrocinio corroborare non desistas. Itaque illis magnopere recreatus ab illa prima verecundia, ipsas ad tuam Amplitudinem tuam perbreves literas, quamvis rudi (quod aiunt) & pingui Minervâ scribere sum ausus. Quas quidem confido, te, qui es erga omnes humanitate, inprimisque benignitate & favore erga studiosos, ex animi potius nostri intima mensurum esse, quam ex hac ingenii mei imbecillitate, quam legendo animadvertere facillime potes, æstimaturum. Feci tamen pro facultate exili, quæ an me est, ut non omni ex parte hæc epistola, dum nihil aliud nisi verba communis officii & apud omnes celebrati continerem, inanis & nuda videri possit. Quare illis etiam lucubrationes, & annotationes meas in Dialecticam Scoti per triennium jam integrum impensas, & diligenti cum Aristotele, omnium Philoso-

phorum jure optimo principis, tum aliorum collatione in eo disciplinæ genere doctiſſimorum, abſoluras adjunxi, ut habeat à me dominatio tua judicium minimè incertum in ſe futuræ obſervantiæ, cujus ſpecimen aliquod præteriti hi anni dederunt. Quod ego id totum, quicquid in me eſt ſine fuco, ſyncerè & ex animo recipio: Deum optimum maximum rogans, ut id indies magis magiſque facere poſſim, ut cùm Celſitudinis tuæ in me amicóſque meos beneficia conſequi nunquam queam, voluntate tamen & diligentiâ aliquanto propiùs accedere videar: à quo etiam per aſſiduas preces efflagitabo ut tibi tuiſq; omnibus ſalutem & incolumitatem quàm diutiſſimè concedat.

CANTABRIGIÆ, 4 Calendas *Januarii.*

Honori tuo deditiſſimus P. CARTERUS
ſocius Collegii S. JOAN. *evangeliſtæ.*

¶ Ad lectorem, P. CARTERI Hexaſtichon.

CAudide primitias noſtrorum ſume laborum,
Signáque ſudantis maxima, Lector, habe.
Hæc ſunt de Logica, quam ſi laudare paravem,
In pelagus videar fundere ſtultus aquas.
At te de Logica ſi, quæ damus, iſta juvabunt;
Quæ proſint, animos ſcribere plura dabis.

IN

In annotationes CARTERI
THOM. DRANTA.

ΠΡΩτόσοφος *Socrates clarus florebat Athenis,
*Tradidit & tenero Logices præcepta Platoni,
*Ter doctus Plato Socratis dictata magistri
*Contulit in melius, melioráque pascua pandit.
*Noster Aristoteles voluit sic dicere summa,
*Hunc ut summatim, non multum dicere dicant.
*Namque suos Logicos privavit luce libellos.
*Ipsius hunc propriæ fama est contemmere leges,
*Esse hunc exclamant magnum sine vertice truncum:
*Non sensum expedies, non si centum tibi mentes,
*Non si tu possis centeno gutture niti.
*Sed neque sic satis est tantum calcare magistrum:
*Sint tenebræ, sit difficilis, sit non caput, aut pes;
*Vtcunque est, certè est Dialecticus ille monarcha.
*Namque felix Logices ejus mansuescit aratro:
*Hoc omnes fassi, cunctis simulore frememus.
*Porphyrius princeps, princeps Dialecticus esset,
*Sed vix progressus, verba imperfecta reliquit.
*Agricolæ pulchrum est opus immortale Rodolphi:
*Assidua versate manu studiosa juventus.
*Aures atque animum comptus Perionius opplet,
*Res agit, & dictis non deest facundia rebus.
*Sturmius ornato format sermone loquentes,
*Hic docet, hic discit vero distinguere falsum.
*Ammoniúsque, & Matthisius, non multa locutus
*Psellus, Alexander, Boëthius, Hunnius, Hamo,
*Arborius, Faber, Cæsarius, Hospinianus,
*Valerius, Niphus, Glareanus, Valla, Philippus,
*Gasparus, & Crusius, Curio, *Trapezuntius edunt.
*Quis rectè, quis non, per me sub judice lis sit.
*Cliffovius balbus nobis Dialectica trudit,

Thomas & Scotus, Tartar, Dorbellâque, Dunsque,
Dicere cùm poterunt, majori jure docebunt.
Utilis ast Ramus, quasi solus fructifer esset,
Protrudit lætos (Phœbo ridente) racemos.
Hunc exemplorum virtus, hunc finis, & usus,
Hunc ars & voces ornant & lucidus ordo.
Fructibus istius Rami nil dulcius esu.
Wilsonus nostrâs, nostrati voce locutus,
Claret adhuc novitate rei, Musâque Britanna:
Nec (SETONE) tuum planè est ignobile factum,
Nec (CARTERE) tuum: decus est in utroque labore.
Est aliquid doctis succedere posse merendo,
Est aliquid superesse diu post funera famam,
Omnia nec tacito simul importare sepulcro.
Et palma tu dignus, & hic, & quisquis in altam
(Pluribus ut prosit) gnavus descendit arenam.

THOMAS NEVVTONUS Cestreshyrius.

TE juvenum philomusa probat, Setone, caterva,
Evehit & laudes sydera ad usque tuas.
Te nihilòque minùs, Carter diserte, fovebunt,
Qui Logicæ griphos enucleare doces.
Plaudite tyrones: lætare scholastica pubes,
Et gratum grata concine voce melos.
SETONUM sertis, CARTERUM ornato corollis:
Messis ut in vestro luxurietur agro.

T. N.

BIBL. CANT. CAD.

Thomas & Scotus, Tartar, Derbellâque, Dúnsque,
Dicere cùm poterunt, majori jure docebunt.
Utilis ut Ramus, quasi solus fructifer esset,
Protrudit lætos (Phœbo ridente) racemos.
Hunc exemplorum virtus, hunc finis, & usus,
Hunc mos & voces ornant & lucidus ordo.
Fructibus ipsius Rami nil dulcius esu.
Wilsonus nostrâs, nostrati voce locutus,
Claret adhuc novitate rei, Musâque Britanna:
Nec (SETONE) tuum planè est ignobile factum,
Nec (CARTERE) tuum: decus est in utroque labore.
Est aliquid doctis succedere posse merendo,
Est aliquid superesse diu post funera famam,
Omnia nec tacito simul importare sepulcro.
Et palma tu dignus, & hic, & quisquis in altam
(Pluribus ut prosit) gnavus descendit arenam.

THOMAS NEVVTONUS Ceastreshyrius.

TE juvenum philomusa probat, Setone, caterva,
Evehit & laudes sydera ad usque tuas.
Te nihilóque minùs, Cartere diserte, fovebunt,
Quis Logicæ griphos enucleare doces.
Plaudite tyrones: lætare scholastica pubes,
Et gratum grata concine voce melos.
SETONUM sertis, CARTERUM ornato corollis:
Messis ut in vestro luxurietur agro.

T. N.

TABULA INVENTIONIS, IN QUA VIGINTI QUATUOR GENERALES LOCI IN PARTICULARES suos locos dividuntur, ad excogitanda argumenta apprimè utilis.



JOANNES SETONUS LECTORI.

Quòd in hac tabula genus in supremum, subalternum, & superius quodvis partimur, sic accipe. Tantùm docere conamur, quid genus in inventione, & excogitandis argumentis repræsentet nimirum supremum, medium, & quodcunque superius. Nam licèt ens non sit genus propriè, nec homo, aut aliqua ima species; tamen hæc ad inferiora sua relata, in arte inveniendi genus præ se ferunt: & quantum ad eruenda argumenta attinet, sub genere possunt comprehendi: atque consimili ratione speciem in subalternam & imam speciem, & quodvis inferius secuimus. Dixerit hîc aliquis forsan, ista non ad nostrum institutum, sed ad inventionem potiùs spectare. Fatemur ingenuè ita esse. Sed quemadmodum qui de Inventione scripsit, non potuit non multa judicio propria inferere; itidem & mihi licere puto (cùm sic confines sint hæ partes) quædam inventioni peculiaria attingere. Coactus eram charrarum magnitudine hanc tabulam seorsum (ut vides) excudendam curare; quam diu, sed frustra, libello nostro adhærere studui. Tu optime lector boni consulito industriam nostram, & fruere. VALE.

DE JUDICIO ALTERA PARTE DIALECTICES.

Dialectica est scientia probabiliter de quovis themate differendi. Hujus munus est rectè dividere, definire, & ratiocinari: quorum singula maximi sunt momenti, & studio nostro dignissima. In hac autem arte tria veniunt præcipuè consideranda: nimirum, Vox simplex, Propositio, & Argumentatio. De his omnibus ordine, quàm poterimus apertissimè, brevissiméque dicemus.

Vox est animantis sonus gutture, aliísque oris partibus editus: ut Deus.

Vox articulata est, quæ syllabicam compositionem recipit: ut cœlum.

Inarticulata vox, quæ literarum notis nequit comprehendi: ut hinnitus equorum.

Vox significativa est, quæ audientem rem aliquam docet: ut caput, urbs.

Non significativa est, quæ nulli rei significandæ destinatur: ut ovium balatus.

Consignificativam dicimus eam, quæ non nisi

BIBL. CANT. ACAD.

nisi aliis adjuncta significat, ut, omnis, nullus.

Vox significans ad placitum, quæ fingentis arbitrium sequitur, ut aurum, sylva.

Naturalis vox est, quæ eandem apud omnes naturalem affectionem præ se fert, ut risus.

Vox incomplexa, est dictio simplex per se elata, ut, justitia, præceptor.

Complexa, quæ ex duabus, vel pluribus simplicibus conflatur, ut, Æterna virtus, Turpe vitium.

Superior, suam inferiorem & quiddam amplius complectitur, ut animal ad hominem.

Inferior, quædam, sed non omnia, quæ sua superior continet.

Convertibiles, quæ nec plura nec pauciora significant, appellamus, ut homo, & risibile.

Dissentaneæ sunt, quarum omnino diversa est significatio, ut lapis, & sol.

Præterea singularis dicitur, quæ uni tantùm rei competit, ut Cato, Cantabrigia, Olympus, hæc papyrus.

Communis est, cujus nomen pluribus congruere natum est, ut scientia, vinum.

Dialectica est artificium docens de quavis materia probabiliter disserere. Hanc in duas secant partes, nimirum inveniendi & judicandi. De priori diligenter & satis copiosè scripsit Rodolphus: De altera verò nos (volente Deo) dicere aggrediemur. Hujus

summa

ſumma eſt utilitas, & ad omnes penè artes neceſſaria cognitio: quippe quæ rum rectè dividendi, & definiendi,rum argumentandi modum docet. Tria ſunt hîc cognitu præcipua; Vox ſimplex quæ terminus dicitur, Propoſitio, & Argumentatio. Recipit Vox ſex diviſiones, non quòd non ſunt plures, ſed quòd in initio nimiùm multis non ſunt obruendi tenelli puerorum animi, quibus hæc potiſſimùm ſcripſimus. Prima Vocis diviſio eſt in Articulatam & Inarticulatam. Altera eſt Articulatæ in Significativam, Conſignificativam, & Non ſignificativam. Significativarum,aliæ Ad placitum, aliæ Naturaliter ſignificant. Vox ſignificans juxta primi fingentis placitum, dividitur in Complexam & Incomplexam. Poteſt tamen quandoque eadem dictio voce eſſe Simplex,& Complexa ſignificatione, vt Polypus, Taurus. Dividitur Vox in Superiorem, Inferiorem, Convertibilem, & Diſſentaneam, quæ citra relationem quandam non poſſunt intelligi: eadem enim Vox aliis atque aliis collata, nunc Inferior, nunc Superior exiſtit: ut, Equus ad brutum Inferior, ad Bucephalum fit Superior, atque ità etiam equus ad hinnibile Convertibilis, ad bovem Diſſentanea vox eſt. Dividitur iterum Incomplexa in Communem & Singularem. Communis in prædicabilium genera conſumitur, ut in proxima tabula apertè liquebit. Jam revertere, & contemplare tabulam illam de vocis ſpeciebus, illîc velut in ſpeculo quodam hæc omnia clarè perſpicies ob oculos poſita, ſi non ipſas definitiones tradideris oblivioni. Multùm juvat conſiderare,quæ voces, in quas dividantur, & quæ velut inutiles ab hac arte rejiciantur. Poterunt & plura vocis membra aſſignari, ut Univocæ & Æquivocæ, ſed volui contextum ipſum brevem eſſe, nec quicquam præter definitiones, diviſiones, & neceſſarias regulas continere: quæ deſiderabuntur, in his ſcholiis adjicientur.

Terminus

Terminus communis, qui & prædicabilis dicitur, omnibus hujus artis candidatis summâ curâ venit adnotandus. Adverte igitur, lector, dum hîc tibi prædicabile definiamus, ac in suas species dividamus. Nam nomen & verbum, etiamsi ab incomplexa voce derivantur, commodior tamen explicandi locus sese offeret in proximo libro, qui de propositione instituetur, cujus sunt præcipuæ partes.

ANNO-

ANNOTATIONES P. CARTERI IN primum librum Dialecticæ Joannis Setoni.

Dialectica est scientia disserendi de quavis re probabili, & in utramque partem. CARTER.

Dialectices partitio.

Dialectices duæ sunt partes: { Inventio. / Judicium.

Inventio est, quæ certos locos continet, ex quibus argumenta depromuntur, ad quamque rem confirmandam, vel refellendam.

Judicium est argumentorum, quæ ex locis deprompta sunt, certo ordine collocandorum, scientia.

Quæstio.

Inventio ordine naturæ & doctrinæ prior est & antiquior: judicium posterius est.

Invenire, est intellectus agentis; judicare, intellectus patientis: alitio passionis causa est. Ratio 1.

Inventio similis est materiæ: judicium formæ, ut inquit Boëtius. Materia formâ prior est. Ratio 2.

Inventio petitur ex locis: judicium ex cognitione syllogismorum dependet.

Setonus inscripsit librum suum, De judicio, quia præcipuè eam Dialectices partem tractat.

De materia Dialectices.

Omnis scientia, Rhetoricâ exceptâ, habet certam materiam in qua versatur: ut, Aritbmetica in numeris, Geometria

Gesmetria in magnitudinibus. Dialectica non habet certam materiam, sed potest & sua, & aliena principia probare. Hæc enim omnibus artibus & scientiis subservit, ut testatur Arist. 1. Topicor.

Define Dialect.

Finis Dialectices, est probabiliter disserere de quæstione probabili.

Ars disserendi Dialectica est: ars dicendi Rhetorica est: hæc enim latior est, illa est strictior.

Dialectica affecta est ad Logicam, tanquam pars ad totum. Cœlius secundus.

Quomodo Dialectica est scientia, & quomodo est ars.

Dialectica est scientia respectu materiæ ex qua constat: est ars respectu materiæ quam tractat, & in qua versatur: vel ut apertiùs dicam, Dialectica est scientia secundum sua principia, quæ semper certa sunt: est ars, ut disputat probabiliter de quæstione probabili.

Definitio scientiæ communiter sumptæ.

Scientia est comprehensio quorundam præceptorum, ad aliquem finem utilem.

Probabiliter disserere quid.

Probabiliter disserere, est aliquid probabili ratione concludere.

Prima divisio Thematis.

Thema duplex, { Simplex. / Compositum.

Alia

Alia divisio Thematis.

Thema triplex est, { Manifestè verum. / Manifestè falsum. / Probabile.

Manifestè verum, & manifestè falsum, aliena sunt à Dialectica: probabile autem thema est materia circa quam versatur Dialectica.

De officiis Dialecticæ.

Tria sunt munera Dialectices: { Dividere. / Definire. / Ratiocinari.

Dividere, est diducere genus in suas species per differentias divisivas. Ut, vocum alia est articulata, alia inarticulata.

Definire, est breviter explicare quid sit res: ut interroganti, Quid sit homo, respondendum est, Est animal rationale, mortale.

Ratiocinari, est propositiones ad notam illativam connectere: ut justitia est virtus, ergò est laudabilis.

Quando à definitione, & quando à divisione exordiendum est.

Si obscurum & multiplex sit, à divisione: si obscurum tantùm, à definitione exordiendum.

Regula.

Obscura definienda: universa dividenda: argumentis vera confirmanda, falsa refellenda sunt.

Tria

Tria sunt in Dialect. præcipuè considerandà: { Vox simplex. / Propositio. / Argumentatio.

Vox simplex est dictio simplex per se elata: ut, virtus.

Propositio est oratio verum vel falsum significans.

Argumentatio est oratio concludens unam propositionem per alteram, per aliquam conjunctionem illativam.

Ordo istorum librorum.

In primo libro, de voce simplici: quia vox simplex est materia propositionis, id est, propositio fit ex vocibus simplicibus.

In secundo libro, de propositione: quia est materia argumentationis.

In tertio libro, de argumentatione: quia argumentari est finis Dialecticæ.

DE VOCIBUS.

Differentia inter vocem & sonum.

Sonus est quicquid ab auditu percipitur: vox id solum dicendum est, quod novem illis naturæ instrumentis editur, gutture, linguâ, palato, quatuor dentibus prioribus, & duobus labiis simul.

Sonus est qualitas auditu perceptibilis, proveniens ex aëris collisione inter bina corpora.

Tria requiruntur ad sonum, { Corpus percutiens. / Corpus percussum. / Aër motus.

Cautio.

Cautio.

Aliquando aër fungitur vice corporis percussi, simul & medii collisi: Vt in ruptura panni, duæ partes aëris se mutuò collidentes efficiunt sonum.

Regula.

Omnis sonus fit, vel { Percussione, / Scissione corporum, / Moto aëre.

De divisione vocum.

Recipit vox sex divisiones, non quòd non plures sunt, ut inquit Setonus, sed quòd in initio nimium multis non sunt obruenda tenella puerorum ingenia.

Divisio vocum.

Vox:

Articulata, — *Inarticulata.*

Articulata:

Significativa, Non significativa, Consignificativa.

Significativa:

Ad placitum, — *Naturalis.*

Ad placitum:

Incomplexa, — *Complexa.*

Incomplexa:

Superior, Inferior, Convertibilis, Dissentanea.

Incomplexa:

Singularis, — *Communis.*

Communis:

In quinque prædicabilia.

Joannis Setoni

Regula.

Hæ diviſiones vocum perfectæ omnino non ſunt, ſed docendi gratiâ adhibentur. Nam vox non ſignificativa articulata non eſt: nec omnis vox ſignificans ad placitum ſignificativa eſt. Reliquæ diviſiones perfectæ ſunt.

Vox articulata hominis tantùm eſt, inarticulata bruti.

De voce conſignificativa.

Vox conſignificativa comprehendit in ſe omnes orationis partes, præter nomen ſubſtantivum, pronomen ſubſtantivum, & verbum.

De voce complexa & incomplexa.

Incomplexarum vocum quædam
- Voce tantùm
- Re tantùm
- Re & voce

eſt
- Re complexa.
- Voce complexa.

Re tantùm incomplexa, cujus nomina diverſa ſunt, res autem una: ut definitio uniuſcujuſque rei, ut ſubjectum per ſe accidentium.

Voce tantùm incomplexa, cujus nomen unum eſt, diverſæ tamen ſunt nominis ſignificationes: ut omnes voces æquivocæ, videlicet Canis.

Re & voce incomplexa, cujus nomen ſimplex eſt, & eadem nominis ſignificatio, ut Juſtitia.

Regula.

Regula.

Re tantùm incomplexa, est voce complexa. Voce tantùm incomplexa, est re complexa. Re & voce complexa est, quæ ex duabus vel pluribus simplicibus conflatur.

De voce inferiori.

Inferior quædam, sed non omnia, quæ sua superior, continet. Hæc definitio non intelligenda est de omni voce inferiore: sed tantùm de voce inferiore communi, quæ prædicabile est.

De voce convertibili.

Voces convertibiles:
- Definitio & definitum.
- Proprium & species.
- Genus & membra dividentia simul sumpta.
- Differentia constitutiva composita, & species.
- Descriptio & descriptum.
- Interpretans & interpretatum, & ea omnia quæ referuntur ad prædicatum definitionis.

Nulla est vox, neque superior, neque inferior, neque convertibilis, neque dissentanea per se, nisi respectu alterius.

De voce singulari, sive de individuo.

Joannis Setoni

Individuum quid.

Individuum est, quod constat ex hujusmodi proprietatibus, quarum collectio nunquam in alio quopiam reperitur.

Individuum sive singulare:	Determinatum,	ut	Hector, & omnia propria nomina.
	Vagum,		Quidam homo.
	Demonstrativum,		Hæc virtus.
	Ex hypothesi.		Æneæ filius ex Creusa.

Individuum determinatum est, quod rem certam significat.

Individuum vagum, dicitur singulare, de quo fit mentio: ut quidam homo.

Individuum ex demonstratione, cùm vox communis cum pronomine demonstrativo sumitur, ad aliquam rem certam significandam.

Individuum ex hypothesi est, quod per se communis terminus est: sed factâ suppositione, fit ut de uno solo dicatur.

PRÆDI-

PRÆDICABILE.

SETON.

Genus: { Generalissimum, ut substantia, quantitas.
{ Subalternum { ut virtus ad { Justitiam. / Habitum.

Species: { Subalterna. { Ima, ut Tigris.
{ Divisiva.

Differentia: { Constitutiva. { ut sensibile ad { Vivens. / Animal.
{ Medicum esse.

Proprium: 1 { Bipedem esse. { Homini.
2 { Canescere in senio.
3 { Speciale. { Hinnibile.
{ Subalternum. { Sentire.
4 { Generalissimum. { Per se subsistere.
{ Transcendens. { Habere essentiam.

Accidens: { Separabile. { ut calor { Aquæ.
{ Inseparabile. { Ignis.

Joannis Setoni

De prædicabilibus.

PRædicabile est nomen simplex, quod de pluribus enuntiari potest.

In quinque membra consumitur; genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens.

Genus est prædicabile de pluribus differentibus specie in quid: ut flos, virtus, metallum.

Generum aliud est { *Generalissimum,* / *Subalternum.*

Generalissimum est genus capacissimum, quod nunquam queat esse species: ut ipsa prædicamenta, de quibus mox plura accipies.

Subalternum genus est, quod potest esse species, ut virtus.

Species est prædicabile de pluribus differentibus numero tantùm in quid: ut, Narcissus, fortitudo.

Subalterna species aliquando generis formam induit, à quo solâ ratione discrepat.

Imam speciem vocamus, quæ semper species, & nunquam fit genus: ut Leo.

Differentia est prædicabile de pluribus essentialiter in quale: ut Rationale.

Differentia divisiva est, qua genus in suas species dividitur.

Con-

Conſtitutiva eſt, quæ ad ſpeciem ſuam refertur.

Proprium eſt prædicabile, quod uni tantùm ſpeciei & omni, & ſemper accidentaliter ineſt, ut Rugibile, gannibile.

Accidens eſt, quod tum adeſſe, tum detrahi alteri poteſt, ſalvo interim ſubjecto, ut Calor, frigus.

Quod ſubjecto adimi licet, ſeparabile dicunt: quod actu nequit adimi, inſeparabile.

PRædicabile nihil aliud eſt, quàm vox communis, ut dictum eſt: unde facilè liquet, ex quo prioris tabulæ ramo educantur prædicabilium genera. Superioribus enim iſta ſunt cognata, id quod etiam in omnibus ſequentibus licet animadvertere. Nam priusquam de iſtis quicquam ſcripſimus, generalem quandam tabulam, fluminis inſtar in mille rivulos decurrentem, ac ſingula, quæ in his tribus libris continentur concatenata, complectentem depinximus. Quam rem inprimis ſtudioſis utilem futuram exiſtimo, ſi ingenii vires tentent, quàm aptè poſſint omnia in compendium redigere, & invicem colligare.

Prædicabile, eſt vox ſimplex communis, quæ de multis dici poteſt univocè. Quinque ſunt prædicabilium genera, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens: quæ ſunt definiendi materia.

Genus eſt prædicabile, quod de pluribus ſpeciebus dicitur in quid, ut Arbor, frumentum. Generum aliud generaliſſimum, aliud ſubalternum.

Generaliſſimum eſt ſupremum genus, ut ipſa præ-

dicamenta. Subalternum genus potest esse species, quoties versâ vice, ad superiora confertur.

Species est prædicabile de pluribus in quid, numero tantùm differentibus, ut aurum, æquitas.

Subalterna species potest esse genus, si habitudo, ut vocant, mutetur: quantum enim ad rem attinet, cum genere prorsus conspirat, ratione tamen multùm inter se distant. Ima species (quam vulgò appellant specialissimam) est, quæ semper species & nunquam genus ullâ collatione sit, ut linea, fraxinus.

Differentia est prædicabile de pluribus essentialiter in quale, ut, Sensibile. Differentia divisiva est, quâ dividimus genus in suas species. Constitutiva est, quæ ad speciem suam, quam cum genere definit, refertur. Ità rationale ad animal divisivam, ad hominem constitutivam dicimus. Alii dicunt differentiam in quale quid prædicari, quod idem sonat ac si dicas in quale essentialiter. Notandum est suprema genera constitutivis carere, & imas species divisivis. Rarò aut nunquam inveniuntur veræ & germanæ differentiæ.

Proprium, est prædicabile, quod conversim, & accidentaliter de sua specie dicitur: ut, rugibile leonibus, gannibile vulpibus, mugibile bobus, id est, posse mugire. Nam hujusmodi verba potentiam potiùs quàm actum designant. Porphyrius in Isagoge sua quadrifariam dividit proprium. At nos hîc quartam tantùm speciem definivimus, quòd reliquæ accidentia veriùs quàm propria sunt censenda. Proprium etiam specia'e, subalternum, generalissimum & transcendens, brevitatis causâ omitto. Quorum singula sunt propria quarto modo, & conversim prædicantur: ut, Gannibile proprium est speciale, si ad vulpem: sensibile proprium subalternum, si ad animal: per se subsistere, proprium generalissimum, si ad substantiam: habere essen-

tiam,

tiam, proprium transcendens, si ad ens referatur: cum quibus conversim prædicantur.

Accidens est, quod cùm adesse, tum abesse potest, citra subjecti corruptionem. Quædam accidentia ità substantiæ inhærent, ut indè re expelli nequeant: ut, Calor igni, nigredo corvis: cogitatione tamen, quod satis est, adimuntur. Quod à subjecto adimi licet, separabile dicunt: ut, Candor chartæ. Quod actu nequit adimi, inseparabile dicunt: ut, Levitas igni, humor aquæ. Omne prædicabile, aut in quid, aut in quale prædicatur. Percontanti enim quid sit Plato, aut Socrates, Hominem, respondemus: roganti autem quid homo, aut bos, Animal, respondemus. Ità qualis sit homo, interroganti, dicimus, rationalem, risibilem, vel clementem esse.

Duplex est ergò interrogatio, qualis, essentialis, & accidentalis: hanc proprium & accidens, illam verò differentiæ sibi vendicant.

Individuum, quod dictum est uni tantùm rei competere, iis omnibus quinque vocibus universalibus propriè subjicitur: ut, Bucephalus est equus, est animal, est irrationalis, est hinnibilis, est velox: & tamen Bucephalus non est genus, nec species, nec differentia, proprium, aut accidens, sed, ut prædictum est, individuum, & iis omnibus subjicibile. Attende ergò, quicquid de prædicabili, de prædicamento, de propositione, definitione, argumentatione, & aliis artis vocabulis diximus, aut dicemus, id de rerum vocibus esse intelligendum. Alii primam & secundam intentionem dicunt, quæ nos rerum & artium vocabula appellamus. Exempla omnia per vocabula rerum danda sunt, & quarumcunque regularum verificationes. At præceptiones & ipsæ regulæ, è contrario, per artium voces potissimùm traduntur.

DE

Joannis Setoni

De voce communi.

CARTER. VOX communis dividitur in quinque ſpecies prædicabilis.

De prædicabilibus.

Prædicabile eſt nomen ſimplex, quod de pluribus enuntiari poteſt univocè: id eſt, *Prædicabile eſt vox communis & incomplexa re.*

Regula.

Omne prædicabile de pluribus prædicatur.

Obiectio.

Sol, Luna, Phœnix, non prædicantur de pluribus: ergò, Omne prædicabile non prædicatur de pluribus.

Reſponſ.

Sol, Luna, Phœnix, quoad nomen, prædicantur de pluribus, licèt ob defectum rei non poſſunt, quia unum tantùm continent.

Regula.

Omne prædicabile prædicatur univocé.

Univoca prædicatio triplex: Univocè, non æquivocé. Univocè nomine & ratione. Univocè non ſecundum magis & minús.

Primum genus univocæ prædicationis intelligitur in definitione prædicabilis. Secundum genus non intelligitur, quia genus, ſpecies, & differentia tantùm prædicantur nomine & ratione. Neque tertium intelligitur, quia accidens in concreto prædicatur ſecundum magis & minús.

Eorum quæ ſunt, quædam prædicantur

De pluribus, } ur { Prædicabilia.
De uno ſolo, } ur { Individuum, quod impropriè prædicabile eſt.

DE

De genere universaliter sumpto.

Genus triplex:

1. Primo modo, quod est principium uniuscujusque generationis, sive à patria, sive à parente, ut Romulus, pater Romanorum.
2. Secundo modo, genus dicitur multitudo collecta ab uno principio.
3. Tertio modo, genus Dialecticum dicitur, quod de pluribus speciebus prædicatur in quid. De hac generis acceptione loquuntur Dialectici.

Divisio generis Dialectici.

Genus triplex:

- Generalissimum.
- Subalternum.
- Quævis vox superior.

Genus generalissimum, est genus capacissimum, quod nunquam queat esse species, scilicet alicujus generis univoci: sed æquivoci generis potest esse species. Ut substantia est res, tamen res non est verum genus substantiæ, sed æquivocum genus: non enim prædicatur de substantia, nomine & ratione.

Regula.

Dicuntur genera generalissima, quia inter univoca nihil est superius genere generalissimo.

Genus generalissimum nunquam potest esse species: nec ima species, unquam genus.

Genera subalterna quæ sunt.

Ea dicuntur genera subalterna, quæ sita sunt inter supremum genus & imam speciem, quæ subalternatim genera & species sunt.

Genus quid?

Genus est prædicabile de pluribus differentibus specie in quid. De pluribus, scilicet, quia omne genus est plurium specie-

rum

rum genus. Differentibus, ſcilicet, quia ſingulæ ſpecies ejuſdem generis ſpecie inter ſe differunt. In quid, quia genus aptè reſpondet ad quæſtionem factam per quid.

Quæ differunt ſpecie.

Ea dicuntur differre ſpecie, quæ ſunt diverſa individua diverſarum ſpecierum, vel diverſæ ſpecies generis ejuſdem.

Objectio.

Aliquid redundans ponitur in definitione generis: ergò mala eſt definitio.

Ratio.

VALLA. *Genus eſt, quod prædicatur de differentibus ſpecie in quid. Ergò, aliquid ſuperfluum ponitur in definitione generis, nimirum, pluribus.*

Reſponſ.

Nihil ſuperfluum ponitur in definitione generis, ſed unum alterius eſt expoſitio.

De ſpecie.

Species duplex: { Forma uniuſcujuſque rei, ut forma hominis, pulchritudo. / Dialectica ſpecies, quæ generi proximè ſubjicitur.

De ſpecie Dialectica.

Species Dialectica: { Subalterna, / Ima.

Subalterna reſpectu ſuperioris, eſt ſpecies; reſpectu inferioris, eſt genus: Ut animal ad vivens, ſpecies; ad hominem relatum, genus eſt.

Species eſt prædicabile de pluribus differentibus numero tantùm in quid. Hæc definitio intelligenda eſt de Ima ſpecie tantùm.

Quæ

Quæ differunt numero.

Ea dicuntur differre numero, quæ, dum numerantur, sunt inter se diversa.

Ima species semper est species: nam si referatur ad superiora, est species superiorum: si ad inferiora referatur, est species inferiorum: Vt, Fortitudo respectu virtutis, est species virtutis, tanquam sui generis; respectu fortitudinis istius, vel illius hominis, est species individuorum suorum.

Dubitationis solutio.

Notio uniuscujusque speciei, naturâ communis est: propter tamen defectum rei, actu non potest inesse pluribus. Vt phœnix, &c. quod tribus rationibus effici potest.

1. *Cùm tota natura & essentia speciei continetur in uno individuo.* Ratio.

2. *Quando illud unum individuum per se, & suâ naturâ sufficiens est, ut Sol, Luna.*

3. *Quando plura individua non requiruntur quàm unum, ad generationem & conservationem speciei, ut in phœnice.*

Differentia.

Divisio differentiæ universaliter acceptæ.

Differentia triplex: { Communis, accidens separabile. / Propria, accidens inseparabile. / Maximè propria, differentia divisiva, & constitutiva.

Differentia maximè propria quid.

Differentia est prædicabile de pluribus essentialiter in quale.

Expositio.

Differentia constitutiva subalternæ speciei, prædicatur de una subalterna specie, propriè, & de pluribus speciebus & individuis, ut sensile.

Differentia constitutiva composita, prædicatur de una specie, & de pluribus individuis.

Prædicati

Prædicari in quale duplex: { Essentialiter, differentiæ tantùm est. / Accidentaliter, proprii & accidentis.

Divisio differentiæ Dialecticæ.

Differentia duplex est: { Divisiva. / Constitutiva.

Differentia divisiva dividit genus in suas species: ut Rationale, adjuncto irrationali, dividit animal in hominem & brutum.

Constitutiva differentia est suæ speciei procreatrix: ut rationale hominis.

Regula.

Omnis differentia divisiva superioris, est constitutiva inferioris: ut, Rationale ad animal, est divisiva: ad hominem, est constitutiva.

De proprio.

Divisio proprii.

Proprium quadruplex: { 1 Soli, sed non omni, ut nautam esse. / 2 Omni, sed non soli, bipedem esse. / 3 Omni soli, sed nõ semper, canescere in senio / 4 Omni soli & semper, risibile. } Hominis

Divisio proprii 4 modo.

Imæ speciei, / Subalternæ speciei, / Generis generalissimi, / Transcen. } ut { Mugibile, bovis. / Sensibile, animalis. / Per se subsistere, substantiæ. / Habere essentiam, proprium rei.

Sub-

Subdivisio proprii 4 modo.

Simplex, ut capax disciplinæ.
Compositum, dicitur descriptio: ut, animal naturâ mansuetum, proprium hominis.

De accidente.

Accidens est, quod potest adesse & abesse sine interitu subjecti, vel actu, vel cogitatione.

Accidens separabile actu, id est, quod revera separari potest à subjecto: tamen quando separatur, accidens non est.

Accidens inseparabile, non revera, sed tantùm cogitatione separatur à subjecto, quod in accidente satis est.

Secunda divisio accidentis.

Accidens duplex: Universale, Singulare, ut Albedo. Hæc Albedo

Regula.

Accidens universale prædicabile est: singulare non est, quoniam de pluribus non prædicatur.

Tertia divisio accidentis: Prædicabile. Prædicamentale.

Universale axioma.

Quicquid est, aut est substantia, aut accidens prædicamentale.

Prædicabilium proprietates & differentiæ notiores.

Genus & species in quid,
Reliqua tria in quale:
Genus, species, & differentia, essentialiter,
Reliqua duo accidentaliter:
Proprium de specie conversim,
Cætera non conversim:
Genus, species, & differentia, nomine & ratione,
Reliqua solùm nomine:

} Prædicantur.

Genus

Genus, differentia, & proprium, cognata sunt speciei, & eam necessariò sequuntur. Accidens non ità speciem comitatur, ut eam sequi sit necesse.

Genus & differentia ad definitiones conducunt. Proprium & accidens ad descriptiones sunt aptiora.

Proprium, præcipuè speciebus suis inest, ac deinde specierum individuis. Accidentia, è regione primùm & præcipuè competunt individuis, & minùs principaliter deinde speciei & generi.

Omne superius ad suum inferius relatum, faciem generis induit, & eundem ferè locum in argumentando obtinet.

Hæ convenientiæ & differentiæ utilissimæ sunt cognitu. Aliæ etiam sunt, sed non ità necessariæ.

Quamvis proprium & accidens ad descriptiones sunt aptiora, tamen iisdem in definiendo, differentiarum defectu, creberrimè uti cogimur. Rodolphus vocat omne superius, genus, quòd à genere & superioribus similiter oriuntur argumenta. Nos tamen, nè vocum pararetur confusio, hîc, non abs re genus à specie, & proprium à differentia separavimus. Diligenter enim navare operam debent Dialecticam auspicaturi, ut statim in initio ipsâ vocabula cognoscant ad unguem, atque ea superstitiosè admodum discernant. Primùm ergò de regulis in utramq; partem pueris est disputandum. Deinde animadvertendum quo pacto altioribus, hoc est, scribendi dicendique usui observiant.

Sed

Sed quoniam diu erit (exigente id hujus libri ordine) priusquam ad propositionem, & argumentationem ipsam perveniatur, sine quibus haud facilè poterunt reliqua intelligi, hîc visum est, quædam ex secundo & tertio libro desumpta inserere.

Propositio est oratio indicans verum, vel falsum: ut, Deus est author omnium bonorum. Propositio vera est, quæ, ut res est, significat: ut, Adamas trahit ad se ferrum. Falsa, quæ aliter quàm res se habet, significat: ut, Omnis senex est liberalis.

Propositio affirmativa est, ubi principale verbum affirmatur. Negativa, ubi negatur. Exemplum affirmativæ: ut, Pueri amant otium. Negativæ, ut, Venter non habet aures.

Argumentatio est propositionum ad illativam notam connexio. Tria sunt in argumentatione notanda, Antecedens, copula, & consequens.

Antecedens, est prior pars argumentationis copulam præcedens.

Copula, est nota illativa, unde infertur consequens.

Consequens, est posterior pars argumentationis, notam subsequens.

Argumentatio bona est, cujus antecedens necessariò infert consequens: ut, Cernit, ergò oculos habet.

Mala est, cujus antecedens potest esse verum, consequente existente falso: ut, Adolescens est, ergò prodigus. Facilè poterit hoc loco præceptor ille, qui hæc dignabitur docere, plures ex secundo & tertio libro propositionis & argumentationis divisiones colligere, quò cætera citiùs à tenellis intelligantur, & postea ordinem ipsum contextus servare.

Joannis Setoni
DE PROPRIETATIBUS prædicabilium.

CARTER. *PRædicari in quid vel in quale, est respondere ad hanc quæstionem factam per quid vel quale.*

Prædicari in quid duplex: { Completè, definitionis est tantùm / Incompletè, generis & speciei.

Prædicari in quid completè, est absolvere totam naturam rei interrogatæ.

Prædicari in quid incompletè, est absolvere aliquam partem rei interrogatæ.

Genus, species, & differentia essentialiter, id est, sunt de essentia earum rerum de quibus dicuntur, ut genus est de essentia specierum & individuorum: differentia de essentia speciei & individuorum: species de essentia individuorum. Reliqua duo accidentaliter, id est, Proprium, primo modo & per se non est de essentia speciei. Accidens nullo modo est de de essentia subjecti.

Proprium de specie conversim, cætera non conversim, id est, proprium dicitur conversim de specie necessariò: Cætera non conversim necessariò, sed non necessariò.

Dubitationis solutio ex distinctione.

Prædicari conversim bifariam dicitur: { Necessariò. / Non necessariò.

Proprium necessariò convertitur cum specie: quia, si non convertatur, tollitur nomen proprii.

Differentia constitutiva simplex (non composita) ex necessitate non convertitur, quia obtinet nomen differentiæ, si non convertatur.

Regulæ

Regulæ.

Unaquæque res habet suam veram differentiam, cum quâ convertitur: sed nobis minimè nota est propter imbecillitatem intellectûs nostri.

Omnis differentia constitutiva composita convertitur cum specie, ut rationale & mortale cum homine convertuntur. Differentia simplex non convertitur, aut saltem non eodem modo quo proprium.

Genus, species, & differentia, nomine & ratione prædicantur, id est, nomen generis, & definitio generis, nomen speciei, & definitio speciei, nomen differentiæ, & definitio differentiæ prædicantur de his, quorum sunt genus, species, & differentia, ut homo est animal. Animal dicitur nomen, accipienda est definitio nominis, id est, definitio animalis. nimirum, Corpus animatum, vivens, sensile. Eadem est ratio speciei & differentiæ.

Objectio.

Genus non prædicatur de differentia, nec est differentiæ differentiæ: ergò differentia non prædicatur nomine, & ratione.

Respons.

Quando definitiò attribuitur differentiæ, non accipitur pro vera & genuina definitione, quæ ex genere & differentia constat, sed pro definitione minùs perfecta; quæ tamen essentiam rei explicat: Ut, Rationale est, quod potest uti ratione.

Reliqua solùm nomine, id est, proprium & accidens prædicantur solùm nomine.

Objectio.

Accidentia definienda sunt, ut inquit Arist. in 2 Topic. c. 2.

Respons.

Essentialis definitio non attribuitur accidenti, sed descriptio; quæ qualitatem non essentiam rei explicat. Et eodem modo dicendum est de definitione proprii.

Genus, differentia, & proprium, dicuntur sequi speciem, non quòd posteriora sunt specie, sed quòd posità specie, hæc tria sequuntur: ut posito homine, ponitur animal, ponitur rationale, ponitur risibile.

Accidens non sequitur ex necessitate speciem, quia omne accidens, vel actu, vel cogitatione potest separari à subjecto; quod in accidente sufficit.

Regula.

Præintelligendum est, semper subjectum existere prius quàm id quod subjecto accidat.

Genus & differentia ad definitiones conducunt, id est, ad explicandum quid sit res. Conducunt, quia omnis definitio vera constat ex genere & differentia.

Proprium & accidens ad descriptiones sunt aptiora.

Proprium enim descriptionis est ostendere qualis sit res, non quid sit res.

Proprium præcipuè convenit speciei; gratiâ speciei, individuis: accidentia, contrario modo.

Regula.

Proprium secundum intellectum primò convenit speciei: secundum nostram cognitionem, primùm convenit individuis: nam nostra cognitio oritur ex sensibus externis.

Accidentia primùm conveniunt individuis, quia hæc sensibus externis proxima sunt.

Omne superius in eodem ordine prædicamenti est genus inferioris, secundum inventionem.

Quædam proprietates, & convenientiæ generis & cæterorum prædicabilium.

1 *Omne genus notius est naturâ suis speciebus: species nobis notiores sunt.*

2 *Genus prius est specie, naturâ, non tempore: quia sunt relativa*

relativa actu: unum autem relativorum neque prius, neque posterius est altero.

3 *Genus prædicatur tantùm de speciebus, & individuis.*

4 *Genus primam partem definitionis sibi vendicat: differentia constitutiva secundam.*

5 *Genus simile est materiæ, differentia formæ, species corpori composito.*

6 *Quicquid dividitur, est genus: quicquid definitur, est species.*

7 *Quicquid aptum est ad dividendum, aptum est ad definiendum: quicquid enim dividitur, dividitur per differentias: quicquid definitur per differentias definitur.*

8 *Differentia constitutiva prior & notior est suâ specie.*

9 *Nulla prædicatio sumitur de differentia divisiva.*

10 *Species habet unam differentiam actu: genus nullam habet actu, sed potentiâ.*

11 *Genus, species, differentia & proprium prædicantur æqualiter.*

12 *Speciei plura propria esse possunt.*

13 *Omne proprium est unius speciei proprium.*

14 *Omne proprium notius est specie.*

15 *Subjectum prius est tempore accidente, etsi inseparabile sit: quia quod accidit alicui, posterius est eo.*

16 *Accidentia continent subjecta, & continentur. Continent, quia in pluribus insunt: Continentur, quia subjectum non est unius, sed plurium accidentium susceptibile.*

17 *Solum accidens dicitur secundum magis & minus, idq; in concreto.*

18 *Accidens universale non convertitur cum subjecto: accidens singulare potest.*

19 *Accidentia quædam in concretu prædicantur nomine & ratione: quædam verò minimè.*

20 *Eadem est ratio accidentium in descriptione, quæ est differentiæ constitutivæ in definitione.*

Joannis Setoni

De Prædicamentis.

SETON. PRædicamentum, est simplicium terminorum pariter ac rerum certa quædam series. Decem sunt hujusmodi: Substantia, Quantitas, Qualitas, Ad aliquid, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, Habitus.

Nulla est vox, sive singularis, sive communis, quin in aliquo prædicamentorum inveniri possit, modò non sit inter novem illa genera, quæ his versiculis complexi sumus;

Vox artis, consignificans, privatio, fictum,
Pars, Deus, excedens, complexum, vel polysemus,
Ista Categoriis haud possunt verba locari.

NUnc est, ut simili compendio prædicamenta perstringamus: quæ sunt, substantia, quantitas, &c. Hæc summa genera & capita ideo dicuntur, quòd nullum habent superius univocum. In his elementis, seu classibus res omnes & vocabula eò reponuntur, ut inter definiendum, ac ratiocinandum, habeas in promptu, unde velut è quodam penu, quibus opus est depromas. Prædicamenta subjiciuntur transcendentibus, sic appellant Dialectici vocabula illa, quorum significatio ad rem quamque se extendit, qualia sunt, res, aliquid, ens, & unum. Ens ergò, sive res æquivocè prædicamenta complectitur. Sed hîc opportunum videtur, ut quid sint univoca, æquivocáque dicamus.

Univoca dicuntur, quorum nomen commune est, & secundum illud nomen eadem ratio substantiæ, ut Animal, saxum, arbor.

Æqui-

Æquivoca verò dicuntur, quorum nomen commune eſt, & ſecundum illud nomen ſubſtantiæ ratio diverſa, ut Sagitta, piſcis, capra. Hæc à Logicis rejiciuntur. Quatuor ſunt tantùm prædicamenta, re pariter & ratione diſtincta. Subſtantia, quantitas, qualitas, & ubi: Reliqua rerum relationes magis quàm res ſignificant.

Expoſitio carminum.

Vox artis) de qua ſuperiùs præbuimus exemplum, à prædicamentorum conſideratione rejicitur: ut, prædicabile, prædicamentum, propoſitio, & cætera. Caſus, numerus, verbum, conjugatio, &c. Exordium, narratio, epilogus, & cætera in aliis ſcientiis: quæ quidam in relatione, alii in nulla locant claſſe.

Conſignificans) omnia ſignificat ſyncategoremata, qualia ſunt, vel, &, ac, omnis, nullus. Adde etiam & non ſignificativa: ut, Latratum, hinnitum, & ſimilia, quæ eduntur à beſtiis.

Privatio) quæ nullam rem, ſed potiùs rei abſentiam ſignificat, propriè in nulla eſt categoria, niſi fortè per accidens, in ea, in qua res illa, cujus eſt privatio, contineatur: ut, Tenebræ, foramen, cæcitas, ignorantia, oblivio, umbra.

Fictum) verba commentitia deſignat, qualia ſunt Gorgon, Chimæra, Styx, Cerberus, Sphinx, Sirenes, Cyclops, Acheron, Alecto, Tiſiphone, Megæra, Lamia, & cætera.

Pars) totius membra, aut qualeſcunque totius rei partes deſignat: ut manus, caput, oculi, cor, pulmo, vena, cutis; fundamentum, paries, tectum; radix, ramus; caulis, culmus, gluma, geniculum, &c.

Deus) creditur à multis non eſſe in prædicamento, ut alia quæ ſunt actu infinita: ut, Deitas, crearor, numen, æternum, & cætera. Deus tamen rectiùs (opinor) ab aliis dicitur eſſe perfectiſſima ſubſtantia.

Excedens) id eſt tranſcendens, ut ens, res, unum, aliquid, opinabile, & ſiqua ſunt alia, quæ nil certi ſed omnia indiſcriminatim (ut dictum eſt) ſignificant.

Complexum) ut, Homo juſtus, irrationale animal, quæ non ſub uno aliquo, ſed in diverſis continentur prædicamentis. Veruntamen ſi voce ſolùm fit complexum, ut corpus animatum, hæc modeſtia, & talia (quibus vocum inopiâ utimur) non debet à prædicamento videri alienum.

Polyſemus) id eſt æquivoca: ut acutum, virgo, liber, leve, & cætera, quorum incerta eſt ſignificatio, & idcirco diſtinguenda, priuſquam in categoriis reponantur. Sed de iis nimis fortaſſe multa.

De prædicamentis.

De diverſa ratione collocandarum vocum in prædicamentis, & prædicabilibus.

CARTER. *Voces collocantur in prædicabilibus, quemadmodum cum aliis conſiderantur. Ut, virtus reſpectu hominis, accidens eſt: reſpectu habitus, ſpecies: reſpectu temperantiæ, genus. Voces collocantur in prædicamentis, quemadmodum per ſe conſiderantur: ut, virtus ſine alterius reſpectu eſt in qualitate.*

Prædicamentum quid?

Prædicamentum eſt certus & diſtinctus quidam ordo vocum ſimplicium pariter ac rerum.

Diviſio eorum, quæ ponuntur in prædicamentis.

Eorum quæ ponuntur in prædicamentis, quædam { Per ſe: Genus, ſpecies, individua. / Per accidens, reliqua omnia.

Regula.

Regula.

Definitio est in prædicamento secundum partes, non secundum totum.

De numero prædicamentorum.

Quatuor sunt prædicamenta re pariter & ratione.
- Substantia.
- Quantitas.
- Qualitas.
- Ubi.

Cætera prædicamenta, rerum relationes, potiùs quàm res significant.

Discrimen inter prædicabile, & prædicamentum.

Prædicamentum est receptaculum vocum communium & singularium: prædicabile vocum communium tantùm.

De vocibus, quæ rejiciuntur à prædicamentis.

Vox artis quid?

Vox artis est verbum, quo aliqua ars utitur in suis regulis explicandis: ut, prædicabile.

Cautio.

Vox artis rejicitur ab omnibus prædicamentis, exceptâ relatione. Ut omne genus est speciei genus: Genus & species relativa actu sunt.

De voce consignificante.

Consignificans sub se complectitur omnes orationis partes, præter nomen substantivum, pronomen substantivum, & verbum. Et comprehendit etiam omnes voces quæ à bestiis eduntur, ut Latratus.

Cautio.

Concretum ponitur in prædicamento, non per se, sed gratiâ abstracti.

De

Joannis Setoni

De privatione.

Privatio est absentia rei naturalis, & per se rejicitur à prædicamento, (privatio enim rei, res non est) ponitur in prædicamento, gratiâ ejus rei, cujus est privatio.

De ficto.

Ficta sunt verba commentitia, qualia perplurima à poëtis finguntur, ut Achates. Ficta res, res non est.

De parte.

Partium, aliæ sunt

Universales,	ut	Temperantia respectu virtutis.
Integrales,		Caput pars corporis.
Essentiales,		Forma pars rei naturalis.
Definitivæ,		Genus pars definitionis speciei.

Regulæ.

Partes universales, essentiales, & definitivæ, per se in prædicamento sunt: pars integralis non per se, sed gratiâ totius, cujus est pars.

Partes essentiales & definitivæ priores sunt toto.

De Deo.

Deus non est in prædicamento, quia nihil quod est actu infinitum, reperitur in aliquo prædicamento, ut, Deus, Creator, numen.

De excedente.

Excedentia sunt ipsa transcendentia, quæ nihil certi significant, sed omnia sine aliqua differentia: & ea de causa aliena sunt à prædicamentis, ut res, unum, &c.

Regula.

Non est aliquis certus & definitus numerus transcendentium, sed perplurima sunt, ut traditur ab Arist. in Metaphys.

De Complexo.

Complexum hoc in loco duplex est: Voce tantùm. Re & voce.

Regula.

Regula.

Complexum voce tantùm ſecundum partes eſt in prædicamento, non ſecundum totum, ut, animal rationale.

Dubitationis ſolutio.

Tertium membrum complexi omittitur in hac diviſione, ne complexum & polyſemus inter ſe confunderentur.

De Polyſemo.

Polyſemus eſt vox æquivoca.

Æquivoca ſunt, quorum nomen commune eſt, definitio nominis alia atque alia.

Univoca ſunt, quorum nomen commune eſt, & eadem nomini attributa naturæ definitio.

Diviſio æquivoci.

Æquivocum duplex: { Æquivocans, ut canis. / Æquivocatum.

Æquivoca æquivocata, ſunt ſignificationes æquivoci æquivocantis: ut animal latrabile, piſcis marinus, ſydus cæleſte.

Æquivocum æquivocans locum non habet in categoriis: Æquivoca æquivocata habent, nam reipſa univoca ſunt.

Iſta Categoriis haud paſſunt verb. &c. Scilicet per ſe, per accidens tamen quædam poſſunt.

De Subſtantia.

SUbſtantia eſt res, quâ ſuffulciuntur accidentia. Prima, Secunda.

Subſtantia prima, eſt individuum ſubſtantiæ, unum aliquod deſignans: ut, Virgilius, hic lapis.

Secunda, eſt primæ genus, aut ſpecies, multa repræſentans. Ut arbor, ceraſus.

Pro-

Proprietates ſex.

1 Nulla ſubſtantia eſt in aliquo ſubjecto.

2 Secunda ſubſtantia & ejus differentia univocè & propriè de primis prædicantur.

3 Prima hoc aliquid ſignificat: Secunda verò quale quid.

4 Subſtantiæ nihil eſt contrarium.

5 Non ſuſcipit magis aut minús.

6 Prima ſubſtantia propriiſſimè contrariorum eſt ſuſceptibilis.

Completæ ſubſtantiæ genera, cœli, elementa, vegetabilia, animalia, foſſilia, imperfectè miſta, &c.

Incompletæ ſpecies ſunt, angelus, ſpiritus, manes, dæmon, anima ſeparata, materia, forma, partes, & ſiqua ſunt hujuſmodi.

Subſtantia:

Corporea, — *Incorporea.*

Corpus:

Compoſitum, — *Simplex.*

Compoſitum:

Vivens, — *Inanime.*

Vivens:

Senſile, — *Inſenſile.*

Animal:

Rationale, — *Irrationale.*

Homo:

Plato, — *Socrates,*

Maro.

Subſtantia,

SUbſtantia, ut planiſſimè dicatur, res eſt ſolida, cui cætera quoq; accidentia obveniunt. Eſt enim quaſi ſuſtentaculum ac baſis reliquorum, ut ſaxum, ut ignis: illi craſſities, huic raritas, veluti ſuo ſuſceptibili innititur & ineſt.

Prima ſubſtantia ſingularis eſt, & infima, quæ de una tantùm re enuntiatur: utpote, Demoſthenes, hic pſittacus: quorum natura, quò minùs de plurimis dicantur, repugnat. Secunda verò, genus, ſeu ſpecies eſt primæ, hoc eſt, communior quædam & amplior, quàm ut ad unum aliquod ſignificandum aſtringatur: ut Demoſthenis, ſpecies homo, genus animal. Ita ad hunc pſittacum ſpecies eſt pſittacus, genus verò avis.

Nulla ſubſtantia eſt in ſubjecto: quia ipſa eſt potiùs cæterorum prædicamentorum ſubjectum, ut ex definitione ejus patet. Nam licet vinum in cado ſit, non tamen ut in ſuo ſubjecto, ſed ineſt ut in loco. Dicitur aliquid ineſſe novem modis: veluti in loco, vaſe, toto, partibus, genere, ſpecie, fine, efficiente, forma.

Differentiæ & partes ſubſtantiæ, quoniam incompletæ ſunt, non putantur propriè in prædicamento locari. De primis tamen propriè, & univocè prædicantur, ut latiùs dicetur, ubi ventum eſt ad prædicationem.

Quale deſignat qualitatem circa ſubſtantiam: ut cùm dico, animal, oſtendo talem eſſe ſubſtantiam, qualis de pluribus prædicari poteſt.

Subſtantia non agnoſcit contrarium, quamvis juxta ejus qualitates & formas nonnunquam contrariatur: Ut ignis, & aqua, quæ ob mutuam pugnam à phyſicis contraria appellantur. At completæ ſubſtantiæ nec invicem contrariantur, nec quicquam aliud iis alienum.

Non intenditur, nec remittitur, ſed omnis ſubſtantia æquè eſt ſubſtantia: ut, bos, brutum, ignis, æs, corpus,

pus, ex æquo ſunt ſubſtantiæ. Una tamen aliis magis vel minùs dici poteſt, ſecundum anguſtiam aut amplitudinem: ut ſpecies magis quàm genus eſt ſubſtantia, & individuum maxima dicitur, quòd plurimis ſubſtat, ſed nec magis nec minùs eſt, ſecundum prædicamenti eſſentiam.

Prima ſubſtantia, cùm ſingularis ſit, propriſſimè per ſuam ipſius variationem contrariorum eſt ſuſceptibilis. Nam etſi opinio, & enunciatio, ſuſcipiant cõtraria, verum & falſum, nulla tamen in ipſis, ſed ipsâ re potiùs, permutatio exiſtit. Semper enim eadem permanet hæc propoſitio, Cæſar pugnat, quicquid agat Cæſar: veram tamen, niſi eo pugnante, non dicimus.

Secunda autem ſubſtantia, gratiâ primarum, contrariis ſubjicitur. Dicitur homo dives, quia Crœſus & Attalus, & alii fuêre divites: pauper, quia Codrus & alii rerum inopiâ laborabant. Longè igitur aliud eſt contraria habere, & contraria ſuſcipere. Pueris Dialecticam auſpicantibus, non ſolùm enitendum cenſeo, ut voces quaſcunque in ſuas claſſes reducere, ac collocare diſcant, verùm etiam ut gradus vocum inter ſe cognatarum perfectè cognoſcant, quò ab imis ad ſuprema, velut per gradus quoſdam aſcendere, & contrà ad ima uſque, indè deſcendere poſſint, ut ſciant quouſque ſit progrediendum: nempe ab omni individuo cujuſcunque ſit categoriæ, tanquam à primo gradu, per intermedia ad ſumma uſque genera licet progredi, ubi oportet ſiſtere, ut, Cicero, homo animal, vivens, corpus, ſubſtantia: hîc ſiſtendum eſt. Similis eſt à generaliſſimo in quoduis ſuum individuum deſcenſus, vt ſubſtantia, corpus, compoſitum, vivens, animal, brutum, terreſtre, greſſibile, quadrupes, equus, Bucephalus: nihil eſt infra Bucephalum, nec ſupra ſubſtantiam, quod ſub hujus categoriæ ambitu contineatur. Nam ens rejici à Prædicamentis, ſuperiùs oſtenſum eſt, quòd res omnes quæ ſunt, indiſcriminatim ſignificat, & ul-

tra

tra ens, opinabile, dictio ampliſſima, ea omnia quæ ſunt, fictitiáque monſtra, quæ non ſunt, ſed imaginantur, ſignificans. Hic vocum gradus, rem quampiam definituros juvabit plurimùm.

Recitantur à quibuſdam hæc completæ ſubſtantiæ genera, cœli, elementa, animalia, vegetabilia, foſſilia, imperfectè miſta. Mihi videntur vix ſatis integrè hujus prædicamenti ſeriem complere. Pannus enim, cadaver, & lac, & talia vocabula non poſſunt aptè prædictis generibus comprehendi. Incompletæ ſubſtantiæ ſpecies ſunt, Angelus, ſpiritus, manes, dæmon, anima ſeparata, materia, forma, partes ſubſtantiæ, & ſiqua ſunt hujuſmodi. Diſcant pueri, quot genera ſub ſe contineant vegetabile & foſſile, ut hujus prædicamenti intelligant immenſitatem.

De ſubſtantia.

Subſtantia triplex:
- Secundum rem tantùm, ut rationale & ſingulæ differentiæ conſtitutivæ ſpecierum. CARTER.
- Secundum modum prædicandi tantùm, ut univerſalia accidentia, ut Color.
- Secundum rem & modum prædicandi, ut ſecundæ ſubſtantiæ.

Regula.

Subſtantia primum locum ſibi vendicat, quia quæ continentur in cæteris prædicamentis, referuntur ad ſubſtantiam, tanquam ad proprium ſubjectum.

Subſtantia quid?

Subſtantia eſt ſubjectum per ſe accidentium.

Subjectum triplex:

In quo, } In quo accidentia inhærent.
De quo, } Subjectum in propoſitione.
Circa quod, } Materia circa quam res verſatur.

Sub-

Subjectum in quo duplex { Per se, Per accidens.

Subjectum esse accidentium per se, substantiæ tantùm est: subjectum esse accidentium per accidens, id est, impropriè, cæteris prædicamentis convenit, ut superficiei.

Divisio Substantiæ.

Corporea. } alia { Prima.
Incorporea. } alia { Secunda.

Objectio.

Secunda substantia dicitur de prima: ergo, mala est divisio substantiæ.

Respons.

Secunda non dicitur de prima, quemadmodum sunt membra dividentia substantiæ: sed si ipsas res respiciamus, secunda prædicatur de prima.

DE PROPRIETATIBUS Substantiæ.

Proprietates convenientiæ sunt, quæ neque solis, neque omnibus insunt.

Proprium & proprietas non confunduntur: sed proprietas latiùs sumitur quàm proprium.

1 *Nulla substantia est in aliquo subjecto, scilicet, ut accidens in subjecto.*

Inesse in subjecto duplex: { Substantiale in substantiali: ut anima in corpore hominis. Accidens in subjecto.

Inesse ut accidens, quid?

Inesse ut accidens, dicitur, quod neque est pars subjecti, neque ab eodem subjecto separatur.

Regula.

Omne accidens, quatenus est accidens, inest subjecto.

Aliquid

Aliquid dicitur inesse 9. modis.

In loco,	ut	Cicero in senatu.
In vase,		Vinum in cado.
In toto,		Caput in corpore.
In partibus,		Omnis humana vis in animo & corpore.
In genere,		Aurum in metallo.
In specie,		Metallum in auro.
In efficiente,		Fœlicitas in virtute.
In fine,		Virtus in fœlicitate.
In materia,		Forma in materia.

2 *Secunda substantia & eius differentia constitutiva prædicantur de primis univocè, id est, nomine & definitione.*

3 *Prima hoc aliquid significat. i. rem singularem.*

Objectio.

Hic homo est Joannes, & ille homo est Joannes: ergo prima substantia de pluribus dicitur.

Responsio.

Prima substantia non prædicatur de pluribus propter communem in ea speciem, sed propter nominis similitudinem.

Secunda verò, quale quid: id est, omnis secunda substantia sibi innatam hanc qualitatem habet, ut de pluribus possit prædicari.

Dubitationis solutio.

Quale, hic non sumitur quemadmodum in prædicamento Qualitatis, pro qualitate accidentaria, sed pro communi notione essentiali. Non enim idem est significare quale quid, & prædicari in quale quid.

4 *Substantiæ nihil est contrarium, id est, una substantia non est contraria alteri secundum essentiam prædicamenti, sed aliquando secundum qualitates, quæ physica contraria sunt, ut, Ignis, & aqua.*

5 *Non suscipit magis & minus, secundum prædicamenti essentiam.*

Objectio.

Individuum est magis substantia quàm species, species quàm genus: ergò, Una substantia est magis quàm altera.

Respons.

Unum individuum non est magis substantia quàm alterum individuum: nec una ima species est magis quàm altera: nec unum genus magis quàm alterum genus, neque secundum essentiam prædicamenti, neque secundum rationem suscipiendi accidentia.

Regula.

Omnis comparatio est eorum, quæ sunt generis ejusdem.

6 *Prima substantia propriissimè contrariorum accidentium est susceptibilis.*

Suscipere contraria quid?

Suscipere contraria, est subjectum esse contrarierum accidentium.

Objectio.

Oratio dicitur vera, vel falsa: ergo, Non est proprium substantiæ, suscipere contraria.

Respons. 1.

Oratio dicitur vera vel falsa, non per se: sed quia res est, vel non est, dicitur esse oratio vera vel falsa. Ut, Hector pugnat. Hæc oratio est vera, Hectore pugnante: falsa est quando non pugnat.

Respons. 2.

Proprium est substantiæ suscipere contraria, suiipsius mutatione: orationi convenit, non suiipsius mutatione (quia eadem oratio semper manet) sed mutatione substantiæ.

Completa substantia quid?

Completa substantia, sive corporea est, quæ cerni tangive potest. Incompleta, quæ nec cerni, nec tangi potest: sed solummodo cogitatione comprehenditur. Ut Deus.

De

De numero cœlorum.

Cœli sive sphæræ 8. sunt secundum Arist.

1 Lunæ.
2 Mercurii.
3 Veneris.
4 Solis.
5 Martis.
6 Jovis.
7 Saturni.
8 Firmamenti, sive primi mobilis.

Cœlum quid?

Cœlum est corpus simplex, æthereum & sphæricum, perpetuò mobile actu, stellis & astris insignitum.

Elementa quatuor.

Ignis. Aër. Aqua. Terra, } Et omnia cœlestia corpora simplicia sunt.

Corpus compositum quid?

Corpus compositum est, quod componitur ex quatuor elementis, & ipsa quatuor elementa & omnia cœlestia corpora, respectu primæ materiæ & primæ formæ, corpora composita sunt.

DIVISIO VITÆ.

Vita triplex.

Vegetativa, Sensitiva, Rationalis, } attribuitur { Plantis, brutis, & hominibus. Brutis, & hominibus. Homini tantùm.

Fossilia sunt quæ è terris effodiuntur, ut Metalla.

De imperfectè mistis.

Meteoron est corpus compositum imperfectum, ex vapore, vel exhalatione effectum, in aëre vel terra apparere solitum, ut Grando, draco volans.

Regula.

Dicitur imperfectum, propter ſubitam meteori generationem.

De materia meteororum.

Materia meteororum ſunt fumi, qui è terra & aqua oriuntur.

Diviſio meteororum.

Duo ſunt genera meteororum: { Exhalatio. / Vapor.

Materia & forma, ſunt prima principia rerum naturalium.

Anima ſeparata, ſcilicet à corpore. Partes, id eſt, ſubſtantiæ.

Regula.

Duo ſunt extrema in omni prædicamento: { Genus generaliſſ. / Species ſpecialiſſ.

Quæcunque comprehenduntur inter genus generaliſſimum, & ſpeciem ſpecialiſſimam, ſiunt genera & ſpecies: genera reſpectu inferiorum, ſpecies reſpectu ſuperiorum: ut corpus, ad ſubſtantiam ſpecies, ad compoſitum corpus genus.

Dubitationis ſolutio.

In omni diviſione, proximum genus intelligendum eſt: ut in diviſione corporis compoſiti in vivens & inanime, in inanime intelligendum eſt genus ſuum proximum: nec pro aliis ſumi poteſt, quàm pro inanimatis compoſitis. Ut, omne corpus inanime compoſitum, eſt corpus compoſitum.

De quantitate.

SETON. QUantitas, eſt cujus gratia diviſibile ſectionem participat, ut linea, ſex.

Continua, diſcreta.

Continua, eſt cujus partes in communi termino

mino connectuntur. Ejus quinque sunt species, linea, superficies, corpus, tempus, & locus.

Communis terminus:	Lineæ,	est	Punctum.
	Superficiei,		Linea.
	Corporis,		Superficies.
	Temporis,		Jam, nunc, &c.
	Loci,		Linea.

Punctum, est insecabile quoddam, quo solam longitudinem dividimus.

Linea, est longitudo, latitudine & profundo carens.

Superficies, est longitudo & latitudo, sine profundo.

Corpus, est longitudo, latitudo, & profunditas.

Tempus, est primi motus per successionem numerus.

Locus, est concava superficies corporis concavi.

Quantitas discreta est, quæ discretas, & minimè continuas habet partes, ut numerus.

Numerus est unitatum collectio, ut viginti.

Unitas est quiddam, non quantum; unde quemvis numerum licet procreare.

Binarius est numerorum minimus. Maximus autem numerus non potest assignari.

QVantitas est suapte naturâ in partes divisibilis. Hujus gratiâ dividuntur, substantia, qualitas, &

quæcunque participant sectionem. Nam omne quantum,& solum quantum,est divisibile,si(ut hîc sumitur) divisionem realem intelligas. Quantitatum, alia continua,alia discreta: Hoc est, magnitudo & multitudo.

Continua, est quantitas divisibilis in semper divisibilia,ut Linea,superficies,& cæteræ species,Ejus partes in termino aliquo communi connectuntur.

Terminus communis est principium unius partis,& finis alterius: ut communis terminus lineæ est punctum, superficiei linea, corporis superficies: temporis,jam, nunc, præsens, instans: loci linea, quia locus est superficies: & hîc pro re ipsa, hoc est,pro mensura loci sumitur.

Punctum est quid iam non quantum,insecabile,quo sola longitudo dividitur. Duo sunt actu puncta in omni linea,principium & finis:potestate verò infinita sunt vel in minima linea.Porrò, ut linea dividitur per puncta; ita superficies per lineas, corpus per superficies,tempus per præsens, & locus per lineas,dividuntur.Linea nuda est longitudo reliquis carens dimensionibus. Talem autem cogitatione oportet fingere, quòd omnis linea ducta secum trahit latitudinem Quin etiam mente concipienda est & superficies, ut hîc definita est, quòd omne planum in rebus, profundum habet sibi adnexum.

Corpus, ut hîc capitur (abutimur enim hac voce aliarum defectu) omnem dimensionem designat.Atq; ob hanc dimensionis trinitatem, habetur corpus perfectissima quantitas.

Tempus est numerus primi motus,hoc est,primum mobile,dum solem & alios planetas rapit motu suo,& continua revolutione tempus numerat, & æquis spatiis mensurat. Adverte temporis partes,licèt sint continuæ invicem,non esse permanentes,nec ut partes lineæ in continuo positionem habent: qua de re plura te docebit Aristoteles. Quantitas discreta est, cujus

partes

partes nullo cõmuni termino connectuntur, sed separatæ invicem existunt, ut numerus, vel oratio: ad nullum limitem communem copulantur numeri, aut orationis partes. Ut quantitas continua perpetuò minui, ita discreta semper augeri potest, hic maximum, illic minimum ignoramus. Quod de numero dictum est, de numero numerante, quo res numeramus, intellige, ut quinque, decem, centum, &c. quod numeratur, est aut substantia, aut qualitas, aut aliquid aliud. Tempus non numerat motum supremæ sphæræ, sed ab eo numeratur, ut prædictum est, & ideò non numerans numerus, & discretum, sed numeratus numerus, & continuum habetur.

Oratio pro tenore vocis, hoc est, pro syllabarum mensura, quantitas potest dici, quanquam nec oratio, nec locus, propriè quantitates censentur: quandoquidem locus (si ejus rationem contempleris) ut ad locatum refertur, in relatione locatur. Oratio autem rectiùs in tertia specie qualitatis, cùm fit vox, reponitur.

De Quantitate.

Quantitas primum locum obtinet post substantiam, quia vi quantitatis cætera in substantia inhærent. CARTER.

Quantitas quid?

Quantitas est divisibilis in semper divisibilia.

Ratio.

Quantitas continua semper diminui potest: quantitas discreta semper augeri potest.

Divisio simplex: { Logicalis. / Realis.

Logicalis divisio est generis in species per differentias accommoda deductio.

Realis diviſio (quæ partitio vocatur) eſt totius integralis in ſuas partes. De hac diviſione loquitur Setonus.

Quantitatis diviſio.

Quantitatis duæ ſunt ſpecies.

Continua, } dicitur { Magnitudo.
Diſcreta, } dicitur { Multitudo.

Terminus communis quid?

Terminus communis eſt finis unius partis, & initium alterius.

Linea duplex: { Communis. / Mathematica.

Mathematica linea (de qua Setonus loquitur) mente tantùm & cogitatione comprehenditur. Eadem eſt ratio in cæteris.

Dubitationis ſolutio.

Omnis linea dividitur, per puncta: nulla tamen linea fit ex punctis, juxta Ariſtotelem in 6. Phyſicorum.

Rationes duæ.

1 *Nullum continuum compoſitum eſt ex impartibilibus, punctum inſecabile quiddam eſt.*

2 *Ex non quantis nulla aſſurgit quantitas: punctum quantitas non eſt.*

De corpore.

Corpus duplex: { Subſtantiale. { Subſtantia. / Quantitas. / Mathematicum.

Dimenſiones tres ſunt: { Longitudo. / Latitudo. / Profunditas.

Regula.

Hæ dimenſiones reſpectu ſubſtantiæ, accidentia ſunt: reſpectu quantitatis, differentiæ ſunt.

Tempus

Tempus quid?

Tempus est numerus primi motus, id est, mensura primi motus cœlestis: per successionem, id est, secundum prius & posterius.

Numerus duplex: { Numerans. / Numeratus.

Numerus numerans, est numerus quo res numerantur, ut duo, tria.

Numerus numeratus, est numerus rebus applicatus, ut duo homines.

Tempus est numerus numeratus, respectu motus primi mobilis: respectu sui subjecti mobilis, est numerus numerans.

Omnis numerus numerans est in prædicamento quantitatis: numerus numeratus in omnibus prædicamentis est.

Tempus aliquando dicitur esse quantum per se, & aliquando quantitas per accidens. Per se, quemadmodum quantitas sumitur secundum rationem mensuræ. Est quantitas per accidens, quemadmodum quantum sumitur secundum esse.

Locus quid?

Locus est concava superficies corporis continentis immobilis primò.

Objectio.

Locus & superficies sunt species quantitatis continuæ: ergo locus superficies non est.

Respons.

Locus & superficies reipsa omninò eadem sunt, sed ratione differunt. Nam dicitur locus respectu corporis contenti, superficies verò respectu corporis continentis.

Divisio loci.

Locus quadruplex: { Proprius. / Communis. / Naturalis. / Violentus.

Locus

Locus proprius, neque major, neque minor corpore locato: locus communis est major.

Aliquid dicitur esse in loco trifariàm.

Per se:
Per accidens: ut { Omnia corpora inferiora. / Animus.
Per partem: { Primum mobile.

Primum mobile dicitur esse in loco, non secundum totum, sed secundum partem; partem dico, quia centrum ejus est in loco.

Regula.

Omne corpus est in loco, vel secundum totum, vel secundum partem.

De quantitate discreta.

Quantitas discreta, & numerus numerans, idem sunt omnino.

De oratione.

Oratio est in quantitate, juxta mensuram syllabarum: est in qualitate, ut infert passionem auditui: est in substantia, quatenus scripta est.

Maximus numerus non potest assignari, quia maximum ignoratur in quantitate discreta, quemadmodum minimum in quantitate continua.

Punctum & unitas non sunt in prædicamento per se, sed gratiâ lineæ & numeri, quorum sunt principia.

Proprietates. III.

Sexon.

1 Quantitas non habet contrarium.
2 Non suscipit magis aut minus.
3 Quantitas est, quâ res æqualis, vel inæqualis censetur alteri.

Sub hoc prædicamento continentur omnia magnitudinis, numerorum, & mensurarum nomina.

Quantitas.



Hæc & illa concava ſuperficies.

Prima & ſecunda proprietas facilè ex ſubſtantiæ proprietatibus cognoſcuntur. Tertia huic prædicamento eſt peculiaris. Nam ex quantitate dicitur res eſſe alteri æqualis, vel ſecús: nempe tum res æquales dicimus, cùm illarum quantitates ſunt æquales. Continet ſub ſe quantitas nomina, id eſt, ſpecies magnitudinis, menſurarum, & numerorum. Nomina magnitudinis, longitudo, latitudo, profunditas, altitudo, planum, granum, digitus, ſpithama, dichas, cubitum, ulna, pes, ſeſquipes, gradus, paſſus, pertica, ſtadium, milliare, leuca, paraſanga, &c.

Menſurarum, pinta, ſextarius, congius, coryla, diaulus, modius, amphora, uncia, libra, ſemis, triens, ſextans, chœnix, dolichus, pondo, talentum, bilibris, & alia hujus generis ſexcenta, quæ ſtudioſi pueri ſedulò conſcribent.

Numerorum, decem, viginti, quadraginta, centum, ſexcenta, mille, myr as, & reliqua infinita.

De proprietatibus Quantitatis.

Quantitati nihil eſt contrarium. CARTES.

Dubitationis ſolutio.

Surſum, deorſum, & cætera non ſunt contraria, quia non repugnant

repugnant secundum pugnantiam formæ, sed secundum distantiam loci.

Omnia contraria insunt eidem subjecto, & eidem parti subjecti diversis temporibus, nisi alterum sit à natura, quod minimè congruit positionibus loci.

Regulæ.

1 *Omnia contraria opponuntur secundum pugnantiam formæ.*

2 *Diversa nunquam possunt competere eidem subjecto.*

3 *Magnum & parvum non sunt contraria, quia nihil est magnum aut parvum per se, sed tantùm comparatione.*

Quantitas non dicitur secundum magis & minùs, id est, omnia quæ sunt in prædicamento Quantitatis, æquè sunt quantitates, quoad genus.

A quantitate res solùm dicuntur æquales, & inæquales: quia æqualitas & inæqualitas cernuntur in magnitudine, vel in multitudine Magnitudo, quantitas continua est: multitudo, quantitas discreta est. Tamen æquale & inæquale non tam quantitates sunt, quàm qualitates, & passiones quantitatis.

Æqualitas est rerum differentium eadem quantitas.

Inæqualitas est rerum differentium diversa quantitas.

DE RELATIONE.

SETON. AD aliquid dicitur, cujus essentia ex alio dependet: ut, Pater. Relativa actu ea dicuntur, quæ aptè invicem referuntur in obliquis, ut, Pater est filii pater.

Relativa potentiâ sunt, quorum existente uno, non necessariò sequitur alterum: ut, Sensibile & sensus.

Pro-

Proprietates IIII.

1 Ad aliquid habet contraria.

2 Suſcipit intentionem & remiſſionem.

3 Relativa propria neceſſariò ſeſe mutuò conſequuntur: ut Præceptor & diſcipulus.

4 Propria Relativa ſunt ſimul naturâ: hoc eſt, ſeſe ponunt & auferunt: ut, Joquitur ille.

Ad aliquid.

Magiſtratus, ~~ *Cognatio, ætatum nomina, &c.*

Magiſtratus.

Prætor, ~~ *Rex, Conſul, &c.*

Prætor.

Urbanus, ~~ *Peregrinus.*

Urbanus.

~~

Hic Prætor urbanus, & ille.

AD aliquid dicitur, cujus eſſentia non ex ſe, ſed ex alio pendet: ut, pater, & dominus, ex ſuis correlativis filio, & ſervo. Relativa actu, ea ſunt, quæ aptè invicem & mutuò ſeſe in obliquis ſequuntur: ut, duplum eſt dimidii duplum, & contrà dimidium eſt dupli dimidium.

Relativa potentiâ, non neceſſariò ſeſe conſequuntur. Nam quamvis ſequitur, ſi ſenſus ſit, ſenſibile eſſe: tamen è contrario non ſequitur: quia poteſt eſſe ſenſibile abſque ſenſu, ſi ſenſibile paſſivè ſumatur.

Suſcipit contraria: ut, virtus contraria eſt vitio, non quòd virtus referatur ad vitium: virtus enim ſtudioſi eſt virtus, & non vitii virtus, ſunt tamen invicem contraria.

Intenditur & remittitur: ut, ſimile & æquale magis & minùs dicuntur.

Neceſſaria

Neceſſaria eſt conſecutio in propriis relativis, ut præceptor eſt diſcipuli præceptor, & diſcipulus præceptoris diſcipulus.

Relativa actu ſunt ſimul naturâ: nam ponunt ſe, ut ſi dominus eſt, ſervus eſt; & auferunt, ut ſi non ſit dominus, non eſt ſervus, ſi non eſt ſervus, nec dominus eſt. Relativa propria, & relativa actu, & ſecundum eſſe, ſunt idem: ſic & idem ſunt relativa potentiâ, impropria, & ſecundum dici, ut loquuntur. Hæc omnia prædicamenta penè complectuntur, nec ſunt ità multùm neceſſaria. Ad hanc claſſem referendæ ſunt, juxta quoſdam, omnes voces quæ non poſſunt in aliis collocari: verùm quamvis hoc prædicamentum adeò ſit capax, ut videatur multis omnia penè reliqua ambitu ſuo complecti, difficile tamen eſt, vocabulorum inopiâ ejus intermedia genera invenire, etiam ſi ſexcentæ ejus ſpecies ultrò ſeſe quærenti offerunt.

Si certò unum relativorum cognoſcas, & alterum ſcias oportet: ut ſcias Bacchum eſſe Jovis filium, ſcis Jovem eſſe Baccho patrem. Ad hæc, ſi relativum definias, ejus correlativi facienda eſt mentio. Denique, Ad aliquid quoniam ſola eſt relatio rerum, non ut cætera accidentia ſenſui objicitur, ſed ſolo intellectus obtutu apprehenditur. Hujus ergò categoriæ ſunt, quæcunq; non rem, ſed rei deſignant collationem: ut omnia cognationis, affinitatis, magiſtratus, & ætatis nomina.

De Relatione.

CARTER. *AD aliquid dicitur, cujus eſſentiæ conſequentia non ex ſe dependet, ſed ex alio, id eſt ſuo correlativo.*

Relativorum duæ ſunt ſpecies: { Relativa actu, Relativa potentiâ.

Relativa actu ſunt propria relativa, quæ aptè invicem referuntur in caſibus obliquis, vel quomodolibet alterum ad aliud.

Relati-

Relativorum actu, quædam { In casu / Absque casu } Referuntur.

Quæ referuntur in casibus, referuntur in { Genitivo, ut, regnum est regis regnum. / Dativo, ut simile est simili simile. / Ablativo, ut majus est minore majus. }

Absque casu referuntur, ut mons magnus ad montem parvum. Dicitur esse absque casu, quia vis istius relationis non dependet ex casu, sed ex propositione.

Relativa potentiâ quæ?

Relativa potentiâ sunt, quæ mutatis casibus referuntur, ita ut unum alterum minimè sequatur: ut, Scientia est scibilis scientia, & scibile est scientiâ scibile.

Regulæ.

1 *Omnis relatio est vocum relatio, non rerum: nam relatio potius designat rei collationem, quàm rem ipsam.*

2 *Omnia relativa convertuntur, vel secundum actum, vel secundum potentiam.*

3 *Omnia relativa sunt accidentia.*

De proprietatibus relativorum.

1 2 *Ad aliquid habet contrarium, non per se, sed ratione qualitatum, & eodem modo dicitur secundum magis & minus: ut, Virtus vitio contraria est: Et ad aliquid dicitur magis vel minùs simile.*

3 *Relativa propria, id est, relativa actu, convertuntur secundum conversionem relativorum.*

4 *Relativa actu sunt, quæ sese ponunt & auferunt, id est, posito relativo, ponitur & correlativum: & sublato relativo, tollitur correlativum: ut, posito servo, ponitur & dominus: & sublato domino, tollitur nomen servi: nam sub-*

stantia

stantia ipsa potest remanere, non tamen servus est dicendus, sed homo, ut loquitur ille Aristoteles.

DE QUALITATE.

SETON. QUalitas est forma accidentalis, quâ res quales appellatur, ut fortitudo.

Hæc in quatuor partes consumitur: habitum, potentiam, passibile, & formam.

Addunt authores habitui affectionem, potentiæ impotentiam, passibili passionem, & formæ figuram.

Habitus est qualitas sensim acquisita, sensimq; à subjecto mobilis, ut Dialectica.

Affectio est brevis inclinatio ad aliquid, unde habitus initium sumit & gignitur, ut Desiderium discendi Græca.

Potentia est donum naturæ innatum, quâ quid firmiùs & magis possumus, ut Visus.

Impotentia est illius naturalis vis absentia, vel potiùs naturalis quædam imbecillitas, quâ quid miùs audemus, ut timiditas.

Passibile est qualitas permanens, quæ sensui passionem incutit, ut dulcedo, albedo.

Passio est momentanea qualitas ex affectione excitata.

Forma est ex numeri proportione proveniens qualitas.

Figura similiter ex continui terminatione assurgit.

Qualitas

QUalitas est secundum quam aliquid dicitur esse quale, ut à fortitudine dicitur homo fortis, à sapientia sapiens. Addunt authores habitui affectionem, potentiæ impotentiam, passibili passionem, & formæ figuram: ità habitus & affectio primam speciem, potentia & impotentia secundam complent, atque ità de reliquis. Habitus est qualitas, non naturâ, sed studio sensim parta, & sensim à susceptibili separabilis, ut doctrina: sub hac specie virtutes, vitia, scientiæ, artésque omnes continentur.

De Qualitate.

Divisio qualitatis.

Qualitas duplex.

Essentialis, Accidentalis, } ut { Rationale. Virtus.

Regula.

Forma essentialis, secundum rem, substantia est: secundum modum prædicandi, qualitas est.

Qualitas est, secundum quam res qualis appellatur, vel aliquo alio modo.

Regula.

Hæc postrema particula ponitur in definitione qualitatis, gratiâ potentiæ.

Quale dupliciter dicitur.

Largè, Strictè, } ut { Concretum uniuscujusque abstracti. Concretum tantùm accidentis, quod reperitur in hoc prædicamento.

Regula.

Quale strictè sumendum est, non largè.

Quale duplex: { Quod est in qualitate solùm. Quod est in cæteris prædicamentis.

Id dicitur quale in prædicamento qualitatis, à quo res

simpliciter denominatur qualis vi qualitatis, ut à justitia dicimur justi.

Quale, in cæteris prædicamentis, à quo res non simpliciter denominatur qualis vi qualitatis, sed secundum aliquem alium modum: ut dicimur felices à felicitate, secundum quid agentes.

Divisio qualitatis.

Qualitatis quatuor sunt species, non imæ, sed subalternæ.
1. Habitus & affectio.
2. Potentia & imporentia.
3. Passibile & passio.
4. Forma & figura.

Habitus quid.

Habitus est qualitas, non à natura data, difficulter à subjecto mobilis.

Divisio habitus.

Habitus duplex:
- Animi.
- Corporis.

Habitus animi est qualitas inhærens in animo hominis tantùm; quæ vel intelligendi, vel deliberandi facultate perficitur. Intelligendi, virtutes intellectivæ: deliberandi, virtutes morales.

Habitus corporis est qui corporis actionibus comparatur.

Affectio quid.

Affectio est qualitas, quæ facilè à subjecto dimovetur.

Divisio affectionis.

Affectio duplex:
- Propria.
- Communis.

Propria affectio est qualitas non naturâ data, facilè à subjecto mobilis.

Affectio communis, est qualitas non naturâ insita, sed industriâ acquisita, ad bene maléve agendum, sive facilè, sive difficulter à subjecto mobilis, ut Faber.

Regula.

Omnis habitus est affectio communis: sed non omnis affectio

in genere habitus est. Qui enim habitum habent, dispositi sunt: sed omnes qui dispositi sunt, habitum non habent.

Regula.

Propria affectio non differt ab habitu, neque genere, neque specie, sed numero: habitus enim est qualitas firma; dispositio propria, qualitas infirma.

Potentia quid.

Naturalis potentia est facultas à natura data, vel animo, vel corpori, ut Mens, robur.

Naturalis impotentia est reluctatio naturæ, ut velocitas asino, oblivio homini.

Regula.

Nihil dicitur tale à potentia, vel impotentia, quia jam tale est, sed quòd tale esse potest: ut lignum fragile dicitur non quòd fractum est, sed quia facilè frangi potest.

Passibilis qualitas quid.

Passibilis qualitas est, quæ permanet in subjecto, sensum movens, cui passionem infert: Ut albedo, qualitas permanens in cygno, & infert passionem visui.

Divisio passibilis qualitatis.

Passibilis qualitas.

Corporis, Animi, } ut { Insania ex tristitia. Pallor ex morbo.

Passio quid.

Passio est momentanea qualitas, quæ oritur ex aliquo affectu, vel in animo, vel in corpore.

Regula.

Passibiles qualitates sunt objecta sensuum, non subjecta.

Dicuntur passibiles qualitates, non quòd subjecta, vel qualitates ipsæ aliquid patiantur, sed quòd inferant passionem sensibus.

De forma & figura.

Forma est ex numeri proportione proveniens qualitas, id est, oritur ex discreta quantitate.

Figura similiter, &c. id est, figura oritur ex ratione quantitatis continuæ.

Qualitatum divisio.

Qualitatum aliæ sunt

Sensibiles, Insensibiles, } ut { Passibile & forma. Habitus & potentia.

Discrimen inter habitum & potentiam.

Omnis potentia à natura est: habitus à natura non est, sed industriâ acquisitus.

Discrimen inter patibilem qualitatem, & habitum.

Patibilis qualitas, est qualitas sensibilis, sensum movens: habitus est qualitas insensibilis, in subjecto permanens.

Discrimen inter passibile & passionem.

Passibile, est qualitas diuturna & stabilis: passio est temporaria, & facilè mobilis.

Discrimen inter formam & figuram.

Forma considerat quantitatem discretam: figura quantitatem continuam: Ut, statua forma est, si consideremus aptam & convenientem proportionem lineamentorum: figura est, si consideremus lineamentorum diductionem tantùm, quia hunc vel illum repræsentamus.

Regula.

Affectio, impotentia, & passio, non sunt propriè qualitates: sed gratia habitus, potentiæ, & passibilis.

Proprietates III.

SETON. 1 QUalitati aliquid est contrarium.

2 Qualia intenduntur & remittuntur.

3 Qua-

3 Qualitatis eſt, quòd res ſimiles & diſſimiles dicuntur.

Similia ſunt, quæcunque ſimili imbuuntur qualitate.

Diſſimilia verò, quæ diversâ.

Denominativa, ſunt ſubſtantivum & adjectivum, partim nomine, partim re congruentia.

Subſtantivum appellant logici abſtractum, adjectivum concretum.

Quædam ſunt voce tantùm, quædam re tantùm, quædam re & voce ſimul denominativa.



QUalitates invicem contrariantur, ut bonum & malum, calidum & frigidum, album & nigrum,

vel frigiditas & caliditas, albedo & nigredo, &c. Secunda proprietas potiùs de qualibus intelligitur, quàm de ipsis qualitatibus: ut doctus, justus, albus, alter altero magis & minùs dicitur. Albedo, justitia, & cætera abstracta, propriè nec intenduntur, nec remittuntur: quod concretis, hoc est qualibus, creberrimum est. Istæ voces, simile & dissimile, qualitates non sunt, sed in prædicamento relationis. Res tamen secundum earum qualitates similes vel dissimiles appellantur, non aliter ac secundum quantitatem dicitur quodvis æquale, aut inæquale. Insuper infinita denominativa ex hac classe sumuntur: itaq, hîc visum est, quid sint explicare. Denominativa, partim nomine, similiter enim incipiunt, partim re, hoc est significatione, congruunt: ut sapientia, sapiens: prodigalitas, prodigus. Intelligenda est igitur definitio de iis, quæ nomine pariter & significatione sunt denominativa: atque ad hujus definitionis analogiam facilè aptari potest eorum definitio, quæ re aut nomine tantùm sunt denominativa. Virtus & studiosus re solùm, pater & paternitas tantùm voce sunt denominativa. Marmoreum autem, ligneum & lapideum, opinor propriè non esse denominativa, quoniam substantiam, verùs quàm accidens, significant, quando idem prorsus est marmorea columna & marmor, lignea mensa & lignum: intellige ergò substantivum & adjectivum in accidentibus potiùs quàm in substantia, ut justitia & justus, non autem homo & humanus. Longior essem, si conarer recensere ea quæ sub hujus prædicamenti ambitu continentur, tam innumera ac diversa sunt: possunt, qui volunt Murmelium consulere, cui multum debemus ob suam in prædicamentis operam, quanquam & alibi & in hoc prædicamento non semel (me judice) sit lapsus. Nec hominem taxo, cui potiùs agendas esse gratias censeo, quòd in re ardua quod potuit præstitit.

DE

DE PROPRIETATIBUS

Qualitatis.

Qualitati aliquid est contrarium, id est, omnis contrarietas quæ est in qualitate, est inter habitum & habitum, & passibile & passibile: ut justitia injustitiæ, frigiditas caliditati. CARTER

Secunda species & quarta non habent contraria. Neque tamen tertia semper habet aliquid sibi contrarium. Ut medii colores, & medii sapores contrarii non sunt, sed diversi, quia unum uni non repugnat.

2 *Qualia suscipiunt magis & minus, non qualitates ipsæ.*

Qualia quæ sunt.

Qualia sunt, quæ denominativè dicuntur secundum qualitates, vel quomodo libet aliter ab iis. Hæc postrema particula additur propter potentiam. Ut cursor non dicitur qualis ab aliqua qualitate, sed secundum naturalem potentiam.

Regula.

Qualitates respectu subjecti dicuntur secundum magis & minus: respectu generis non dicuntur secundum magis & minus.

3 *Qualitatis est, quòd res similes & dissimiles dicuntur: id est, proprium est qualitatis, ut res cujuscunque generis fuerint, ab eisdem similes vel dissimiles dicantur. Ut, Hector & Achilles similes sunt, quia simili qualitate præditi sunt: Dissimiles, ut Memnon & Paris: Memnon fortis, Paris timidus.*

Similitudo est rerum differentium eadem qualitas.

Dissimilitudo est rerum differentium diversa qualitas.

Divisio denominativorum.

Denominativa quædam.

Re tantùm,	ut	Somnus,	dormiens.
Voce tantum,	ut	Vinum,	vinolentus.
Re & voce,	ut	Temperantia,	temperans.

Joannis Setoni

Regula.

Conjugata sunt ipsa abstracta: Casus, sunt concreta, & adverbia quæ derivantur ab abstractis.

Argumentum sequitur affirmativè & negativè ab illis conjugatis, quæ sunt re tantùm, & re & voce. Ab his quæ sunt voce tantùm, minimè sequitur, ut, Vinum habet, ergò est vinolentus, non sequitur.

De Actione.

SETON. Actio est vis ab agente in passum proveniens, ut secare.

Dividitur multifariàm, ut in tabula sequenti leges.

Omnis actio est in motu.

Omnis actio infert passionem.

Proprietates II.

1 Contrarietas reperitur in actione.

2 Actio recipit plus & minus.

Actio.

Perdurans, Perdurans. *Subitanea.*

Animati, Animati. *Inanimati.*

Sensilis, Sensilis. *Insensilis.*

Voluntaria, Voluntaria. *Non voluntaria.*

Ambulare, Ambulare. *Studere.*

Ambulatio Ciceronis.

Nihil

Nihil eſt in hac categoria, quod interprete egeat. Nemo, qui regulas guſtavit grammatices, ignorat quid ſint actio & paſſio. Verùm hîc largiùs aliquantò ſumitur actio quàm apud grammaticos. Nam proficiſci, inſidiari, loqui, licèt non voce, ſignificatione tamen ſunt activa.

Contrarietas eſt in actione, ut calefacere, frigefacere. Intenditur ac remittitur actio, ut, ſiccare, frigefacere, plùs aut minùs dicimus. Nec omnis, nec ſola actio habet contraria: unde habere contrarium, nec primo, ſecundo, tertio, aut quarto modo convenit actioni. Non eſt itaque proprium actioni, ſed potiùs quædam convenientia. Ac idem de ſecunda proprietate hujus capitis, & aliorum prædicamentorum penè omnibus proprietatibus eſt dicendum.

De Actione.

Actio eſt forma accidentalis, ſecundum quam res aliqua dicitur agere in id, quod ſubjicitur. CARTER

De proprietatibus Actionis.

1 *Contrarietas eſt in actione, non per ſe, ſed per accidens, videlicet ratione contrariarum qualitatum, quæ per actionem agentis ſuſcipiuntur in patiente.*

2 *Actio ſuſcipit magis & minùs, non vi actionis, ſed ratione qualitatum in ſubjecto patiente: ut Ignis igni magis calefacit vel minùs.*

Regula.

1 *Omnis actio eſt ab aliquo: Omnis paſſio eſt in aliquo.*

2 *Actio & paſſio unum motum conſtituunt.*

3 *Omnia ferè verba, quæ habent activam ſignificationem, ſunt in prædicamento actionis, ut proficiſcor.*

4 *Quædam verba paſſiva referuntur ad prædicamentum actionis: ut intelligor, &c.*

5 *Perplura ſunt verba, quæ neque ſub prædicamento actionis*

actionis, nec passionis continentur, ut caleo, frigeo: tamen sub passibili qualitate continentur. Item, jaceo, sto, sedeo, species situs sunt, licèt non tam propriè, quàm statio, sessio.

De Passione.

SETON. PAssio, est actionis in aliquo effectus, & illatio, ut secari, percuti.

Dividi potest in animæ & corporis passiones, ac deinde in varias species, ut postea erit manifestum.

Proprietates.

Passio participat contraria, ut Calefieri, frigefieri.

Præterea recipit passio plus & minùs, ut, Aliud alio magis secatur & minús.

Passio.

Animæ, ∿ *Corporis.*

Animæ.

Brutæ partis, ∿ *Intellectus.*

Brutæ partis.

Sensitivæ, ∿ *Appetitivæ.*

Sensus.

Externi, ∿ *Interni.*

Externi.

Visio, ∿ *Auditus, gustus, &c.*

Visio.

∿

Socratis visio, & hæc & illa.

DOcet Aristoteles in physicis, nihil esse re ipsâ inter actionem & passionem, quæ tamen ratione adeò

adeò idem non ſunt, ut invicem opponantur. Nemo neſcit actionem & paſſionem eſſe relativa, veluti ſitum & habitum, quæ ſequuntur: quæ, nè eſſet magna relativorum confuſio diſcentibus, non immeritò à philoſopho ſeparatim traduntur. Ut omnis actio ab aliquo, ſic omnis paſſio eſt in aliquo. Ad hæc, quemadmodum in actione paſſivæ vocis aliquot verba recitantur: ita hîc contrà in paſſione, quædam activæ vocis ponuntur, ut Timere, mœrere, intelligere, videre, audire, tangere, & hujuſmodi. Nam ſuperiùs monuimus omnem ſenſum patiendo ſuam exercere operationem, non agendo. Nec emittunt quippiam oculi, vel aures inter ſentiendum, ſed aliquid recipiunt potiùs: nimirùm ſenſibilium ſpecies & ſimilitudines ad ipſa organa pertingentes. Non ſumitur hîc paſſio, ut illa quæ eſt in tertia ſpecie qualitatis: hîc enim eſt, ut definitur, vis ab agente illata, illîc verò ut ex paſſione excitata qualitas.

DE PASSIONE.

De Proprietatibus Paſſionis.

Paſſio participat contraria. Dicitur plus & minùs, non per ſe, ſed gratiâ contrariarum qualitatum. CARTER.

Regulæ.

1 *Omnia ferè verba, quæ paſſivæ ſignificationis ſunt, ad hoc prædicamentum pertinent.*

2 *Verba ad ſenſus pertinentia, ſunt in prædicamento paſſionis, ut intelligo, video, audio. Nam quod intelligit, non agit, ſed patitur, recipiens ſpecies ſenſibilium.*

3 *Actio & paſſio ſunt relativa actu, quia eadem eſt omnino ratio actionis & paſſionis. Dicitur actio, ut provenit ab agente; dicitur paſſio, ut recipitur in paſſum.*

Quando.

Joannis Setoni

Quando.

SETON. QUando, est rerum affectio ex tempore relicta: ut hodie, cras, olim.

Multum cum tempore conspirat, sed omnino idem non est.

Proprietates II.

1 Quando non habet contrarium.

2 Non dicitur plus aut minus. Ejus partes semper fluunt, ut temporis.

Quando.

Circumstans, *Præsens.*

Circumstans.

Præteritum,  *Futurum.*

Præteritum.

Olim,  *Nuper.*

Olim.

Seculum, *Lustrum.*

Seculum.

Hoc & illud seculum.

TEmpus, ut priùs docuimus, est numerus primi motus, nullo ad alias res respectu: at Quando rerum actiones & eventa respicit. Quando igitur non est tempus simpliciter, nam tum esset quantitas; sed est applicatio temporis ad personam, rem, vel factum, ideo dicitur affectio relicta ex tempore: ut heri, olim, nuper. Quando est & ipsum prædicamentum, & interrogatio eiusdem, veluti & Ubi, proximum prædicamentum. Est ergò in hac classe quicquid aptè ad interrogationem Quando respondetur. Non intenditur hoc prædicamentum. Videtur tamen incrementum sumere, quando dicimus serò, seriùs, id est magis serò. Ejus

partes

partes nunquam non fluunt, ut partes temporis.

Circumſtans continet præteritum & futurum, non quidem ſimpliciter, ſic enim ſunt partes temporis, ſed ut eventa rerum reſpiciunt.

De Quando.

Quando, eſt applicatio temporis ad rem, perſonam, vel facta. CARTER.

Regula.

Quando, eſt ipſum prædicamentum, & interrogatio ejuſdē.

De Proprietatibus

Quando non habet contrarium proprié.

Secubum eſt ſpatium centum annorum. Luſtrum ſpatium eſt quinque annorum.

Regula.

Circumſtans, non continet præteritum & futurum ſimpliciter, ſed ut reſpiciunt eventa rerum.

De Ubi.

UBi eſt, quæ à loci circumſcriptione procedit, corporis locatio: ut, Londini, vel in foro eſſe. SETON.

Reſpicit perſonam, rem, & facta.

Proprietates II.

1 Non eſt capax contrariorum proprié.

2 Nec admittit intentionem, & remiſſionem.

Ubi.

In aëre, ~ *Extra aërem.*

In aere.

In urbe, ~ *Extra urbem.*

In urbe.

Sub tecto, ~ *Sub dio.*

Sub tecto.

Publico

Publico, ~ *Private.*

Publico.

Sacro, ~ *Profano.*

Sacro.

In templo, ~ *In curia.*

In templo.

~

In templo Petri, & Pauli.

UBi, eſt ipſa corporis in loco circumſcriptio. Eſt enim applicatio loci ad rem aliquam; ut, Romæ, in templo, in gymnaſio: non eſt tamen nuda rerum relatio, ut Quando, & reliqua quæ ſequuntur prædicamenta, ſed unum eſt è quatuor rerum generibus. Quando & Ubi multum ponderis habent in omni controverſia, & rhetoribus cum primis in uſu: Logices negotio parùm admodum ſubſerviunt. Non ſuſcipit contraria, nec plus aut minus, niſi utrunque impropriè ſecundum diſtantiam locorum intelligas: ut, Surſum, deorſum: oriens, & occidens. Eſt Ubi prædicamentum pariter & interrogatio: unde quicquid ad quæſtionem Ubi propriè reſpondetur, ſub hac claſſe locatur, ut Ubi creſcit juncus? in loco paluſtri: Ubi capitur ſcarus? in mari.

UBi, eſt circumſcriptio corporis locati, quæ procedit à loci circumſcriptione: vel, Ubi, eſt applicatio loci ad rem, perſonam, & factа.

Regula.

Ubi, non eſt nuda rerum relatio, ſed eſt unum ex quatuor prædicamentis, quæ ſunt re pariter & ratione diſtincta.

De Proprietatibus.

1 *Ubi non eſt capax contrariorum propriè, ſed impropriè: nam ſurſum & deorſum contraria ſunt, ſecundum phyſicam conſiderationem: nam motus ſurſum, & motus deorſum,*

deorſum, ſecundum naturalem philoſophiam, ſibi invicem cenſentur contrarii.

2 *Vbi, non dicitur ſecundum plus & minus: nam in templo eſſe, non dicitur magis Vbi, quàm in domo eſſe: tametſi frequentius ſit, vel diutius.*

De Situ.

SItus eſt partium rei poſitio, ut Seſſio, ſtatio. SITON

Proprietates. II.

1 Nihil eſt ſitui contrarium.

2 Non ſuſcipit incrementum, nec decrementum.



VIdetur Situs multis eſſe qualitas: ut acutum, obtuſum. Sed id verum non eſt, nempe obtuſitas gladii non ulla qualitas eſt in gladio, ſed potiùs partium gladii poſitio. Scindit enim ſcamnum cùm ejus extremum in tenuem aciem acuitur: alioqui, ſi denſa ſit acies ferri non æquè ſcindit præ obtuſitate, hoc eſt præ ſpiſſitudine ſitus partium. Sedere & ſtare non

non propriè positiones, sed ab iis (ut à philosopho in Relatione dictum est) denominativa sumuntur. Nihil est situi contrarium, licèt stare & sedere videantur esse contraria. Præterea dicimus aliud alio magis & minùs supinum, pronum & declivum: quæ tamen omnia ex æquo arbitror situs judicanda. Hujus categoriæ sunt sessio, statio, accubitus, raritas, spissitudo, asperitas, levitas, acclivitas, inflexio, inclinatio, obtusitas, acuitas, & si quæ sunt aliæ partium rei positiones.

Contendunt quidam, quod de supino & prono, & aliis concretis diximus, de abstractis potiùs esse intelligendum: quanquam supinum & supinitas, declivum & declivitas ad idem prædicamentum pertinere computantur, veluti cætera quæcunque denominativa. Hujus interrogatio est, quo modo situatur? Respondetur, jacet, sedet, recumbit, pendet, erigitur, & cæteræ positionum varietates.

De situ, sive positione.

CARTER *Situm esse, est quod positionem habet quoquo modo ad partes corporis, vel sic se habentis.*

Regula.

Quæ denominativè dicuntur à positione, prædicamentum Situs præcipuè non constituunt: ut, sessio est situs, non sedere neque stare est situs.

Quæ denominativè dicuntur à positione, non tam propriè situs sunt, quàm positiones ipsæ.

Situs tres sunt species: { Sedere, Stare, Jacere.

Sedere, est partim erecto corpore, partim incurvo esse.
Stare, est erecto omnino corpore esse.
Jacere, est toto esse corpore prostrato.

Eorum

Eorum quæ ſitum habent, quædam ſecundum

Naturam, } ut { Elementa.
Artem, } ut { Columnæ.

De habitu.

HAbitus eſt alicujus circa aliquid applicatio: ut, Annulatum, ocreatum, vel petaſatum eſſe. SETONE

Proprietates II.

1 Nihil habitui contrariatur.
2 Non dicitur habitus plus & minus.

Habitus.

Domeſticus, ~ *Peregrinus.*

Domeſticus.

Decorus, ~ *Indecorus.*

Decorus.

Virilis. ~ *Muliebris.*

Virilis.

Ocreatum eſſe, ~ *Armatum eſſe.*

Ocreatum eſſe.

~

His & illis ocreis ocreatum eſſe.

HAbitus eſt veſtium, aut armorum, in corpore veſtiendo, ornando, vel defendendo, vel alicujus alterius circa corpus applicatio. Nec tam ad veſtium materiam aut formam in habitu, quàm ad veſtiendi rationem & uſum circa corpus, eſt reſpiciendum. Tunica enim, ſi ipſum pannum contempleris, ſubſtantia eſt. At tunicatum eſſe, hoc eſt, modus ipſe veſtiendi corpus tunicis, habitus eſt. Fingendáque ſunt nomina quoties deſunt, ut calceatura, armatura, & ſimilia. Nihil eſt ſimilitudinis inter hoc prædicamentum & pri-

mam ſpeciem qualitatis, licèt nomine omnino conveniant. Quando, Ubi, Situs, Habitus, eaſdem prorſus habent proprietates; vel, ut rectiùs dicam, eaſdem convenientias. De iis fuſiùs ſcripſit quidam, ſed tanta cum difficultate, ut juventutis non multùm interſit eum evolvere. Facilè poterit Momus quiſpiam qui nihil unquam candidè interpretari didicit, omnes, quas his in tabulis aſſignavimus, diviſiones reprehendere: ſed ſtudioſæ, & obſequenti juventuti, potiùs quàm præfractis, & omnia cavillaturis, hanc operam inſumpſimus. Scio enim omnem virilem habitum non eſſe decorum, nec omnem decorum habitum eſſe domeſticum. Sic objecturis ergò dicendum eſt, quòd quemadmodum unum membrorum dividitur, ità nonnunquam & reliquum dividi poſſet. Inſuper in membris dividentibus, proximum genus intelligendum eſt, nè nimis latè ſe extendat membrum dividens. Sed hæc adhuc planiora faciamus.

In primi prædicamenti tabula, compoſitum corpus in vivens & inanime ſecuimus. Jam ſiquis cavillabitur, malam eſſe hanc diviſionem; quia latiùs ſe extendit quàm compoſitum (nam terra inanime eſt, & aqua, nec tamen compoſita corpora) huic facillimè reſponderi poteſt, in inanimi intelligendum eſſe genus ſuum, nec pro aliis ſumi poſſe, quàm pro inanimatis compoſitis. Hoc qui non admittit, inter dividendum, vix ullum prædicamentum à ſummis ad infima exactè dividere poteſt: id quod videre eſt in pleriſque aliis prædicamentorum tabulis. Hîc breviter & rudi Minervâ prædicamenta tradidimus, præſertim ſex poſteriora, quæ Ariſtoteles ſicco pede præteriit; quòd non ità multùm ad dialecticam, aut philoſophiam conducerent. Sunt tamen (ſicuti prædiximus) indies, dum iſta ediſcuntur, exercendi pueri, ut cum condiſcipulis ſuis in regulis periculum faciant, quæſtionibus & interrogationibus mutuis aſſueſcant, adeò ut nulla ſit vox omnino

quam

quam non possint facilè in sua categoria, atque adeò in sua propria specie locare, vel saltem rationem reddere cur non sit ei in prædicamentis locus: nec ad cætera prius progredi debeant, quàm ista ad amussim calleant.

H*Abitus est modus corporis vestiendi.* CARTER.

Regula.

In habitu non est consideranda materia, vel forma rei, sed modus corporis vestiendi: ut, pileus substantia est, at pileatum esse, habitus est.

Divisio habitus.

Habitus triplex.

Habitus est prædicamentum.
Habitus, prima species qualitatis.
Habitus, naturalis potentia.

De proprietatibus.

Nihil est habitui contrarium: ut habitus decorus & indecorus contraria non sunt, sed privativa.

De Postpradicamentis.

OPposita sunt, quæ non possunt eidem simul simili respectu congruere. SYTON.

Relativa sunt, quæ non possunt sine collatione intelligi: ut, præceptor, & discipulus.

Privativa sunt habitus, & privatio ejusdem, quæ successivè eidem nata sunt advenire: ut, visus, cæcitas.

Contraria sunt sub eodem genere posita, quæ ob maximam distantiam se mutuò à suo

ſuſceptibili expellunt, niſi alterum eorum ſit inſeparabile.

Contraria immediata ſunt, quorum alterum non poteſt non ineſſe ſuo ſuſceptibili: ut, ſanum vel ægrum, animali.

Media ſimul poſſunt à ſuſceptibili abeſſe: ut, album & nigrum à lapide.

Bonum ſemper malo contrarium eſt: malum nunc bono nunc malo.

Non neceſſe eſt, ſi unum contrariorum actu ſit, alterum quoque actu eſſe: ut, Calidum poteſt eſſe, etſi non ſit frigidum.

Neceſſe eſt contraria in eodem eſſe prædicamento.

Impoſſibile eſt, ea ſimul eidem, ſervato eodem reſpectu, competere.

Contradictoria (quæ vocant ſimplicia) ſunt voces, quæ affirmationi & negationi ſubjacent: ut, ſedet, non ſedet: ſapientia, non ſapientia.

JAm ſeſe offert occaſio de Oppoſitis reliquiſque poſtprædicamentis dicendi, quæ ideo in nullo certo prædicamento recenſentur, quòd varia ſit eorum acceptio, hoc eſt, ſcilicet ſecundum partes in prædicamentis locantur, non tamen ipſa ſumma capita, ut Oppoſita, Prius, & Motus.

Poſtprædicamenta vocat Ariſtoteles quaſdam diviſiones & definitiones, & regulas aliquot, non alio (opinor) nomine, quàm quòd ea poſt ſuam de prædicamentis introductionem tradiderit. Atque eodem modo de Anteprædicamentis judicandum putamus.

Oppoſita

Oppoſita non poſſunt eidem ſimul ineſſe, id eſt, non ſimul competunt eidem ſingulari. Additum eſt, ſimili reſpectu, ob relativa: nam poteſt unus idémque vir ſimul eſſe & pater, & filius, ſed non eodem reſpectu, id eſt, non ejuſdem. Privativa ſunt habitus, & privatio, ejuſdem. Habitus hoc loco eſt qualitas certo tempore alicui ineſſe deſtinata: ut, guſtus, lumen. Privatio ejuſdem defectus: quæ quandoque ſolum actum, ut tenebræ, quandoque & actum & potentiam privat, ut cæcitas. Contraria ſunt in eodem prædicamento, quæ maximè inter ſe repugnant, & ſeſe mutuò à ſuo ſuſceptibili expellunt, vt, album, & nigrum: niſi alterum ſit inſeparabile, hoc eſt, innatum, vt igni calor: qui licèt per frigus non ſeparetur ab igni, frigori tamen eſt contrarius, & advenienti frigore ſeparatur ab aëre, aqua, & aliis ſuis ſubjectis. Suſceptibile eſt, quòd poteſt eſſe ſubjectum, & accidentia recipere.

Ad Contrariorum definitionem, analogicè reducuntur cætera, quæ minùs ſunt contraria, ut fuſcum & album, flavum & nigrum: nam propriè de extremis tantùm intelligitur ſuperiùs data definitio. Contradictoria vocant, terminum finitum & infinitum; ut, ſanatur, non ſanatur. Valla verba tantùm, & non nomina infinitari poſſe exiſtimat: At Cicero, bonum & non bonum, pro contradictoriis utitur. Horum alterum de omni re verè enuntiatur; ut Plato ſtudet, Plato non ſtudet. Unde contradictoriis hoc peculiare videtur, quòd in altera contradictionis parte, addito verbo, invenitur verum vel falſum, ſive res exiſtat, ſive ſecùs: ut, Socrates eſt, Socrates non eſt, alterum verum eſt, ſive ſit Socrates, ſive non ſit: quod non in reliquis oppoſitionibus invenitur: nam quod non exiſtit, nec ſanum, nec ægrum eſt: nec videns, nec cæcum: nec pater, nec filius. Filius enim non omnino erit, ſi non ſit qui genuit.

De Differentiis, hoc eſt, de Diſſentaneis, ſatis eſt dictum.

ctum: quæ propriè non opponuntur, licèt sint oppositis simillima.

Objectiones.

Dixerit aliquis, Non possunt homo & brutum simul eidem congruere: ergò aut mala est oppositorum definitio, aut homini & bruto convenit. Sic occurrendum est, ubi dicitur non posse opposita simul eidem convenire, intelligendum est, illa diversis temporibus eidem rei singulari congruere: ut idem homo nunc sanus, nunc æger; hoc in dissentaneis est impossibile. At iterum objicies, dissentaneorum definitionem quibusdam oppositis convenire: (Nam calidi & frigidi omnino diversa est significatio,) quid ni ergò dissentanea? Quia nimirum illa sunt dissentanea propriè, quorum omnino diversa est significatio, & quæ nullo alio oppositorum modo repugnant: nam tale quiddam in definitione illa est intelligendum. Rursum si quis objecerit, relativè opposita eidem simul posse congruere; Ut, Apollo idem pater & filius fuit: palàm est hîc non eundem servari ordinem, & respectum; non enim unius & ejusdem pater & filius erat Apollo, sed filius Jovis, & Phaëthontis pater. Assuescant pueri ad hunc modum singulas regularum, sed potissimum definitionum particulas examinare, & ex iis solutiones objectorum eruere.

DE POSTPRÆDICAMENTIS.

Cur dicuntur postprædicamenta.

CARTER *Dicuntur postprædicamenta, quia summa genera eorum (ut opposita, prius, simul, idem, & motus) non possunt in prædicamentis collocari. Vel dicuntur postprædicamenta, quia eâdem ratione non ponuntur in prædicamentis: Ut virtus, per se considerata, est in qualitate, ut verò opponitur vitio est in oppositis.*

Repug-

Repugnantia quæ ſunt.

Repugnantia, eſt diſſidens per ſe verum habitudo: qua fit, ut nec alterum de altero, nec ambo de tertio dici poſſint.

Repugnantium diviſio.

Repugnantium duo ſunt genera.

Oppoſita, } ut { Unum uni, / Unum pluribus, vel plura uni, } Repugnant.
Diverſa, }

Objectio.

Liberalitas repugnat avaritiæ, & prodigalitati: ergò unum duobus

Reſponſ.

Unum oppoſitorum poteſt repugnare pluribus, non eâdem ratione: nam prodigalitas opponitur liberalitati ſecundum exceſſum, avaritia autem ſecundum defectum.

Oppoſita quæ ſunt.

Oppoſita ſunt repugnantia, quæ non poſſunt eidem, ſcilicet ſubjecto & eidem parti ſubjecti, ſimul, id eſt, eodem tempore, ſimili reſpectu, id eſt, eâdem comparatione competere.

Regulæ.

Omnia oppoſita ſunt accidentia, præter voces contradicentes.

Omnia oppoſita debent iiſdem ſubjectis competere diverſis temporibus, niſi alterum eorum ſit accidens inſeparabile.

Omnia oppoſita repugnant ut unum uni.

Diviſio oppoſitorum.

Oppoſitorum quatuor ſunt ſpecies: { Relativa. / Privativa. / Contraria. / Contradicentia.

Relativa quæ ſunt.

Relativa ſunt, quæ non poſſunt intelligi ſine mutua collatione unius ad alterum.

Joannis Setoni

Dubitationis ſolutio.

Relativa ſunt in prædicamento relationis, quemadmodum eſſentia conſequentiæ unius dependet ex eſſentia alterius: ſunt verò in oppoſitis, quemadmodum opponuntur ut unum unizut, pater filio.

Privativa quæ ſunt.

Privativa ſunt habitus, id eſt, naturalis potentia deſtinata tempore definito alicui ſubjecto ineſſe, & privatio, ejuſdem defectus.

Diviſio Privativorum.

Privativorum quædam { Actum tantùm, / Potentiam & actum, } tollunt.

Regula.

A privatione in habitum nulla eſt regreſſio, ſi ſint privativa potentiâ: ſin actu privativa ſunt, eſt regreſſio, vt à tenebris in lucem.

De Contrariis.

Diviſio Contrariorum.

Contrariorum quædam { Mediata. / Immediata.

Contraria immediata ſunt, quorum neceſſe eſt alterum ſemper eſſe in ſubjecto. Vt, omne animal (ſecundum dialecticos, non verò ſecundum medicos) eſt vel ſanum, vel ægrum.

Corpus ſecundum medicos triplex: { Sanum. / Ægrum. / Neutrum.

Mediata contraria ſunt, quorum non eſt neceſſe alterum ſemper eſſe in ſubjecto, ſed ambo poſſunt abeſſe, vt dulcedo & amaritudo.

Diviſio medii.

Medium duplex: { Ex ſubjecto. / Ex negatione.

Medium

Medium ex ſubjecto dicitur, quando aliquod medium exprimitur inter duo extrema contraria: ut inter albedinem & nigredinem, flavus color.

Medium ex negatione, dicitur ex negatione vtriuſque extremi: vt, quod neque eſt bonum, neque malum.

Dubitationis ſolutio.

Par & impar contraria non ſunt, ſed differentia numeri: licèt pro contrariis ſæpe ponuntur.

Regula.

Veritas in exemplis Ariſtotelis non eſt inquirenda, ſed expoſitio.

Diſcrimen inter Relativa & Contraria.

Relativa ad invicem dicuntur: Contraria ſibi invicem opponuntur.

Diſcrimen inter Privativa & Contraria.

Privativa & contraria mediata præcipuè in hoc differunt, quòd neceſſe eſt alterum privativorum (poſt tempus definitum) ineſſe ſubjecto: Vt, canis poſt novem dies eſt vel cæcus, vel videns; ante novem dies, neque cæcus, neque videns, ſed non videns: verùm ambo contraria mediata poſſunt abeſſe poſt tempus definitum.

Privativa & immediata contraria in hoc differunt, quòd neceſſe eſt alterum contrariorum immediatorum ſemper ineſſe ſubjecto: ſed ambo privativa poſſunt abeſſe à ſubjecto ante tempus definitum: ut canis, ante novem dies, neque cæcus, neque videns.

Bonum ſemper malo contrarium eſt, ſcilicet ſi verſantur circa eaſdem res: Vt juſtitia injuſtitiæ contraria eſt: juſtitia prodigalitati nunquam.

Malum, nunc bono, nunc malo contrarium eſt: quia unaquæque virtus habet duo extrema; & extremum extremo contrarium eſt, & vtraque medio: Vt, audacia timiditati contrariatur, & ambo fortitudini adverſantur.

Non

Non necesse est, si unum contrariorum actu sit, alterum quoque actu esse.

Objectio.

Asserit Arist. in 3. cap. de cœlo & mundo: Si unum contrariorum sit, alterum esse necesse est: ut, si terra sit, ignem esse est necesse.

Respons.

Verum semper est in contrariis elementorum, si unum sit, alterum quoque esse: quia elementa semper in se invicem agunt, & à se mutuò patiuntur.

Necesse est contraria in eodem esse prædicamento, id est, si sint in prædicamentis omnino. Nam illa suprema contraria quæ sunt transcendentia non sunt in aliquo certo, & definito genere, sed in omnibus prædicamentis: vt bonum & malum in substantia, quantitate, &c. Sed hæc moralia, non logica contraria sunt.

Impossibile est ea, id est, contraria, &c.

Regula.

Alterum privativorum expellit alterum: alterum contrariorum expellit alterum: alterum contradicentium expellit alterum à subjecto: & relativa simul eidem, servato eodem respectu, non possunt competere.

De contradictoriis.

Contradictoria (quæ vocant simplicia) &c.

Divisio contradict.

Contradicentium quædam sunt: { Simplicia. / Composita.

Simplicia contradictoria, sunt voces simplices, quæ subjacent affirmationi & negationi; id est, non sunt affirmationes & negationes, sed subjacent affirmationi & negationi. Si subjectum copulæ, vel copula subjecto addatur, sunt affirmationes & negationes

Contradictoria composita sunt propositiones contradicentes, quarum altera est universalis, altera particularis: & duæ quoque singulares secundum legem oppositionis, contra-

contradicentes propositiones sunt. De quibus dicetur in secundo libro.

Regulæ simplicium contradic.

1 *Altera pars simplicis contradictionis est finita, altera infinita.*

2 *Altera pars contradictionis dicitur de omni re.*

TEmpore, naturâ, ordine, honore prius. SETON.

Prius, primo modo est, quod alterum tempore præcessit: ut senex juvene prior.

Secundo modo, cùm essentia consequentiæ non convertitur: ut, Unum duobus prius.

Tertio modo, quod ordine præcessit: ut, litera syllabis.

Quarto modo, quod perfectione præstat: ut, Sol Lunâ.

Simul itidem ea propriissimè dicuntur, quæ in eodem tempore habent originem, ut Gemelli.

Secundo modo cùm consequentiæ essentia convertitur, & neutrum est alterius causa, vt duplum & dimidium.

Tertio modo, simul ea dicuntur, quæ ex adverso idem genus condividunt: vt, volatile, gressibile, aquatile.

Porrò, Idem tripliciter dividitur, nempe, idem genere, specie & numero.

Idem genere sunt, quæ sub eodem genere continentur, ut homo & brutum.

Idem specie sunt, ejusdem speciei individua, ut, Socrates, Plato.

Idem

Idem numero sunt, quæ rem eandem singularem designant, ut, Stratimocles, & Aristotelis pater.

Quæcunque sunt specie idem, genere sunt idem, non contrá.

Quæcunque sunt idem numero, sunt specie & genere idem, non è diverso.

Quid diversum sit, & quot modis dicatur, facilè per hæc potes colligere.

PRius, primo modo, ut, senex puero Secundo, ut unum duobus. Nam si sint duo, sequitur unum esse, sed non convertitur sequela: nam existente uno, non statim necessarium est duo esse. Tertio modo, prius est, quod ordine præcedit, ut proœmium narratione, protasis catastrophe. Quarto modo dicitur prius, quod perfectius, melius, honorabilius est: ut, Sol lunâ, præceptor discipulo, anima corpore, rex subdito, &c. Et è regione per omnia intellige posterius. Simul tempore ut gemelli. Secundo modo, ut duplum & dimidium: nam firma in iis est consecutio, ut, si duplum sit, est & dimidium; si dimidium, & duplum: horum neutrum est alterius causa. Tertio modo simul sunt omnia eiusdem divisionis membra dividentia, ut justitia, fortitudo, &c. Idem genere, vt grammatica, rhetorica: Specie idem, vt Basilius, Ambrosius: Idem numero, ut Romulus & conditor Romæ. Nihil est in iis, quod magnopere eget expositione. Ex his intellige Diversum.

CARTER

De quinque modis prioris.

Aliquid dicitur altero prius modis quinque,
- Tempore.
- Naturâ.
- Ordine.
- Honore.
- Causa causato.

1 *Prius tempore, quod est antiquius vel vetustius altero, tempore: vt, Academia Cantabrigiensis prior Oxoniensi.*

2 *Prius naturâ est, cùm essentia consequentiæ non convertitur, id est, cùm id quod ex necessitate aliquam rem sequitur, minimè tamen cum eadem potest converti.*

Regula.

Omnis vox superior, prior est naturâ inferiore: nam positâ inferiore voce, sequitur superiorem esse, sed non è contrá.

3 *Prius ordine est, quod alterum ordine præcedit: vt, Exordium prius narratione est.*

Prius ordine bifariàm dicitur: { Ordine naturæ. / Ordine doctrinæ.

Regula.

Vniversalia priora sunt particularibus, ordine naturæ.

Particularia priora sunt vniversalibus, ordine doctrinæ. Nam, nostra cognitio oritur ex sensibus: sensus verò singularium, non vniversalium sunt.

4 *Prius honore dicitur, quod est honorabilius & præstantius altero: ut Justitia mansuetudine prior est.*

5 *Prius causa causato est, quod secundum subsistendi consequentiam non convertitur, quod nimirum est alterius causa & principium, ut Res oratione prior.*

De tribus modis eorum quæ sunt simul.

Simul itidem propriissimè dicuntur, quæ in eodem tempore habent originem, id est, quemadmodum id propriissimè dicitur prius, quod est tempore prius: sic ea propriissimè dicuntur simul, quorum generatio eodem fit tempore.

Simul naturâ quæ sunt.

Simul naturâ ea sunt, quæcunque ad invicem convertuntur, & neutrum est alterius subsistendi causa, vt pater & filius.

Divisio causæ.

Causa duplex: { Subsistendi. / Denominandi.

Pater

Pater est causa denominandi filii, scilicet ut dicatur filius: homo est subsistendi, id est, ut sit.

Simul tertio modo, sunt species diversæ generis ejusdem, vel differentiæ divisivæ ejusdem generis.

Respons.

Unum membrum dividens respectu divisi, neque prius, neque posterius est altero: sin respectus sit unius ad alterum, è contrà fit.

De Eodem.

Idem triplex { Genere. / Specie. / Numero.

Idem genere, sunt species diversæ ejusdem generis, ut substantia prima & secunda.

Idem specie, sunt diversa individua ejusdem speciei, vel diversæ species generis ejusdem.

Idem specie dupliciter dicitur: { Strictè. / Largè.

Si strictè sumatur, ea tantùm idem specie sunt, quæ sunt diversa individua ejusdem speciei. Si largè sumatur, idem specie sunt, vel diversa individua ejusdem speciei, vel diversæ species generis ejusdem.

Idem numero sunt, quæ rem eandem singularem designant.

Idem numero.

Definitione, Proprio, Nomine, Accidente: ut { Definitio & definitum. / Proprium & species. / Plura nomina eandem rem significantia. / Subjectum singulare, & accidens quo subjectum significamus.

Regula.

1 *Quæcunque sunt idem definitione, vel nomine, propriissimè sunt idem; quia sunt idem primo modo, & per se.*

2 *Deinde proprium & species; quia sunt idem per se,*

sed

ſed non primo modo, ſed ſecundo. 3. *Poſtremò ſubjectum & accidens: atque hic alieniſſimus modus eſt, quia accidit ut eadem ſignificent.*

Quæcunq; ſunt idem ſpecie, genere ſunt idem, quia ſpecies ſub genere continetur, ut omne inferius ſub ſuperiore. Non contrà: id eſt, quæcunque ſunt idem genere, non ſunt ſpecie idem: ut, hominis, & bruti non ſunt eadem individua.

Quæcunque ſunt idem numero, ſunt genere & ſpecie idem; non contrà.

Expoſitio.

Hæc Regula non intelligitur de his omnibus quæ ſunt idem numero: nam ea quæ ſunt idem proprio, vel accidente, continentur in diverſis prædicamentis.

Quid diverſum ſit, &c.

Diverſum triplex: { Genere. / Specie. / Numero.

Ea genere differunt, quæ ſunt diverſæ ſpecies diverſorum generum, ut virtus & homo.

Diverſa ſpecie ſunt, diverſa individua diverſarum ſpecierum, vel diverſæ ſpecies diverſorum generum. Et eodem modo dicendum eſt de reliquis.

De Motu.

MOtus ſex habet ſpecies, generationem, corruptionem, augmentationem, diminutionem, alterationem, & lationem. SEX.

Generatio, eſt non exiſtentis in eſſentiam productio, ut cùm ex ſemine fit arbor.

Corruptio, exiſtentis eſt deſitio: ut, quando lignum comburitur.

Augmentatio eſt in toto majoris quantitatis acquiſitio.

Dimi-

Diminutio verò est quantitatis in toto decrementum.

Alteratio est qualitatis in aliquo productio vel destructio.

Ejus sex sunt modi.

Alteratio fit,

Ab extremo,	in	Extremum.
Ab extremo,		Medium.
A medio,		Extremum.
A medio,		Medium.
Ab habitu,		Privationem.
A privatione,		Habitum.

Latio est localis permutatio, ut solis motus ab oriente in occidentem, & rursum hinc in orientem.

Quies motui per omnia ex opposito respondet. Hîc septem habendi modos, & alia postprædicamenta, nè sim prolixior, omitto. Hæc igitur de voce simplici hactenus.

DE MOTU.

GEneratio, vt ex semine fit arbor, herba, aut frumentum. Corruptio, ut quando lignum comburitur. Augmentatio & diminutio, quando quantitas rei in toto augetur & minuitur: vt, Puerorum corpora usque ad periodum quandam ætatis augentur: Senum verò corpora diminuuntur, præsertim cùm sunt decrepiti. Alteratio est mutatio qualitatis, ut cùm ex albo fit nigrum aut fuscum: aut est corruptio qualitatis, ut ubi ex docto fit indoctus, ex luminoso fit tenebrosus. Motus localis est in loco vel circa locum mutatio. In loco, ut motus maris, vel lapidis: circa locum

ut

ut motus primæ sphæræ, quæ nullo loco circumscribitur, sed omnia intra se comprehendit. Motus, ut has sex species complectitur, largissimè sumitur. Aristoteles negat in quinto Physicorum, generationem & corruptionem esse motus, quòd eo in libro solùm accidentalem motum considerat. In tertio verò Physicorum libro, ubi applicat motum prædicamentis, dicit tot esse tantùm motus species, quot sunt entis: Generationem & corruptionem, quæ fiunt circa substantiam, pro prima specie, computans; augmentationem & diminutionem, quæ respiciunt quantitatem, pro secunda; alterationem & lationem, pro tertia & quarta; quarum hæc circa prædicamentum Ubi, illa circa Qualitatem versatur. Motus motui opponitur, vt forma, vel actus: Quies autem motui opponitur, ut privatio vel finis. Tot modis dicitur quies, quot motus; ut quies à generatione, corruptione, augmentatione, & sic deinceps: facilè per motum intelligi potest quies, quia oppositorum eadem esse disciplina solet. De simplici themate quærimus, quid sit & quotuplex, ut, quid virtus, quórque sint ejus species. De composito themate quærimus, verúmne an falsum, necessarium an contingens, & alia multa. Sed à rudimentariis, qui parvos adhuc progressus in dialectica fecerunt, nec secundum librum, aut tertium attigerunt, satis erit quærere, qualis vox sit virtus, qualis vox sit avaritia, aut triticum; articulata an inarticulata, complexáne an incomplexa, superior an inferior, atque ità usque ad prædicabilia. Rursum, quale prædicabile, utrùm genus, species, differentia, proprium, an accidens; num in quid an in quale, num essentialiter an accidentaliter prædicetur. Si genus sit, quas habeat species; & contrà, si species, quod proximum genus, quæ inferiora & superiora, ab imis ad suprema usque. In quo reponatur prædicamento: Si substantia, quæ habeat in se accidentia, quas proprietates.

Si qualitas, quod habeat ſubjectum: Poſtremò, ſitne qualitas acquiſita an innata, permanens an fluxa: Si paſſibilis, cui ſenſui inferat paſſionem, quæ organa, quæ objecta illius ſenſus, quæ ſentiendi media, quæ media & extrema objectorum: Deniq; quæ ei cognata, quæ oppoſita, quæ diſſentanea. Perutile mihi in initio videtur, ad hunc modũ puerilis ingenii vires experiri.

DE MOTV.

Motus quid.

CARTER. *Motus eſt actus entis in potentia, quatenus eſt in potentia: ut generatio eſt actus generabilis, in quantum eſt generabile, vel. Motus eſt acquiſitio, vel amiſſio alicujus in aliquo.*

Motus ſpecies ſex.

Generatio, } Circa ſubſtantiam
Corruptio, }
Augmentatio, } Circa quantitatem. } verſatur.
Diminutio, }
Alteratio circa qualitatem
Latio, circa ubi

Dubitationis ſolutio.

Motus ſi ſtrictè ſumatur, ejus ſpecies ſunt tantùm quatuor: ſin ſumatur pro mutatione (quemadmodum à Setono) tum ſex ſunt ſpecies motus. Nam Ariſt. negat in 5. Phyſicorum, generationem & corruptionem eſſe motus: quod verum eſt, ſi conſideremus motum accidentalem, de quo loquitur Ariſt. eo in libro.

Regula.

Quinque in motu conſideranda ſunt: Movens, Mobile, Tempus, Locus, Terminus { à quo, ad quem.

Omne

Omne corpus compositum ex materia & forma movetur, vel secundum totum, vel secundum partem.

Generatio quid.

Generatio est rei non existentis actu, sed potentiâ, in rem actu existentem, ut ex ovo fit pullus.

Corruptio est rei actu existentis desitio, ut quando frangitur ovum.

Regula.

1 *Res corrupta non statim evanescit in primam materiam, sed gradatim.*

2 *Generatio unius est corruptio alterius, & è contrá.*

Augmentatio dicitur, ubi singulæ partes alicujus totius majorem quantitatem suscipiunt; diminutio è contrà: ut corpora puerorum, corpora senum.

Alteratio est acquisitio vel deperditio alicujus qualitatis in aliquo subjecto, ut, cùm ex injusto fit justus.

Divisio Lationis.

Latio triplex.

Recta, Circularis, Mixta, } ut { Elementorum. Orbium cœlestium. Volatus avium.

Quies motui per omnia ex opposito respondet, id est quies opponitur singulis speciebus motus.

Objectio.

Quies opponitur motui, & motus motui: ergò duo opponuntur uni.

Respons.

Quies opponitur motui, quemadmodum est finis vel privatio motus; Motus opponitur motui, ut forma vel actus.

Joannis Setoni

De septem habendi modis.

Habere, septem modis dicitur.

Qualitatem,		Scientiam,	
Quantitatem,		Bicub.quantit.	
Vestimentum		Pallium,	
In parte,	ut	Annulum in digito,	Habere.
Partem,		Pedem,	
In vase,		Triticum,	
Possessionem.		Agros.	

Finis libri primi.

LIBER SECUNDUS.

De Propositione.

SETON. FInito tandem libro primo, de simplice voce; restat ut aliquid de composita, id est, de integra oratione, quam Logici propositionem appellant, dicamus.

Sed priùs dicendum est (ut pollicitus sum) quid sit nomen, & verbum, unde conflatur propositio.

Est igitur nomen, definitore Aristotele, vox ad placitum significans sine tempore, cujus partes nihil repræsentant sejunctæ, ut arbor.

Verbum, vox est ad placitum consignificans tempus, cujus partes separatim nihil designant, ut scribo.

Propo-

Propoſitio, eſt oratio indicativa verum vel falſum ſignificans: ut, Avaritia eſt radix omnium malorum.

Ejus tres ſunt partes, duo termini (hoc eſt, ſubjectum, & prædicatum) & copula.

Subjectum dicitur, quod præcedit copulam: Prædicatum verò quod eam ſequitur. Copula, verbum principale extrema connectens: ut, Apelles fuit elegantiſſimus pictor. Apelles, ſubjectum eſt: fuit, copula: elegantiſſimus pictor, prædicatum.

Explicanda eſt propoſitio, ſi fuerit implicita, & verbum adjectivum in ſubſtantivum ſolvendum, eodem prorſus ſenſu remanente: ut, Cæſar pugnat, id eſt, Cæſar eſt pugnans.

RElictâ tandem incomplexâ voce, de compoſita aliquid eſt dicẽdum. Ea autem complexa vox, quæ appellatur terminus, facilè ex incomplexa deprehenditur, quando (ut diximus) nihil aliud eſt, quàm duæ ſimplices pariter elatæ: ut, acutus enſis, fulvum aurum, & cætera, cum quibus nihil commercii habebimus in hoc libro. Hîc ab illa compoſita voce nobis auſpicandum eſt, quæ nominibus verba conjungit: atq; hæc etiam bifariàm ſumitur; vel ut oratio imperfecta ſuſpenſum habens ſenſum, ut, Sacerdos in templo, Deum contemni, Si reſcripſeris, Qui non operatur, & cætera; vel ut perfecta, cujus expletus & abſolutus eſt ſenſus, in qua nihil amplius deſideratur: ut, nulla virtus ſeneſcit vnquam. Perfecta vox, hoc eſt, perfecta oratio, vel ſententia conſumitur in indicativam, imperativam, optativam, ſubjunctivam, & infinitivam: ex quibus logici tan-

tùm indicativam (quam propositionem vocant) recipiunt, reliquas poëtis rhetoribúsq; (quibus subserviunt) relinquentes. Propositio & quæ illi accidunt, hujus secundi libri sunt argumentum: Partes nominis separatæ nihil significant, licèt aliquando videantur designare, ut in hac voce, sorex, rex nil designat. Verba consignificant tempus, id est, præter significationes, temporis differentiam inducunt; ut putà præteritum, præsens, vel futurum. Et est verbum semper eorum quæ de alio dicuntur, nota, ut Scribo. Ex iis propriè omnis constat sententia: cætera orationis supplementa, Dialectici, veritatem in primis spectantes, pro partibus nolunt computari. Propositio est oratio indicativa, hoc est, ex verbo indicativo constans. Subjunctiva quoque oratio, & aliæ cùm pro indicativa ponuntur, propositionem constituunt: ut, Vellem vinum gustare, id est, volo.

Propositionem { Aristoteles, Cicero, Vives, Stoici, Alii } Appellat { Pronunciationé, Effatum, Enunciationem, Axioma, Pronunciatum, & Proloquium.

Ejus partes sunt tres, subjectum, & prædicatum, (quæ sunt propositionum materia) & copula: quanquam alii sub prædicato copulam intelligunt. Grammatici dicunt subjectum & prædicatum, suppositum & appositum: Vives objectum, & dictum. In hæc tanquam in simplices partes solvitur propositio. Omnis virtus est habitus bonus: virtus hîc est subjectum, est, copula, habitus bonus, prædicatum. Signa non sunt partes subjecti, nec negationes. Explicanda est propositio quæ fuerit implicita: & verbum adiectivum in substantivum convertendum: ut, Plato disputat, Plato est disputans. Quod non semper oportet. Nam non est idem, Hic puer suaviter canit, &, hic puer est suaviter canens.

canens. Nec idem ſonant, Neſcit aliquis mortem, &, Aliquis eſt neſciens mortem. Aut igitur non ſolvenda ſunt hujuſmodi pronuntiata, aut ſic ſolvenda, ut prorſus idem ſenſus remaneat: ut, Neſcit aliquis mortem, id eſt, nemo ſcit mortem. Aſſerit quidam poſſe pronuntiatum ex ſola prima, aut ſecunda, nonnunquam ex tertia perſona conſtare, ubi certa poſſit intelligi, ut Pluit, ningit: ſed grammaticorum eſt hæc docere.

ANNOTATIONES P. CARTERI
In ſecundum librum Dialecticæ *Ioannis Setoni.*

De Propoſitione.

CARTER

Omnis propoſitio conflatur ex vocibus ſimplicibus. His igitur explicatis, aliquid de Propoſitione dicendum erit.

Sed priùs dicendum eſt, &c.

Omne totum ex ſuis partibus cognoſcitur. Propoſitio totum eſt, nomen & verbum partes ſunt.

Diviſio Nominis.

Nomen triplex.

Rectum, Caſus nominis, Infinitum. } ut { Iuſtitia. Iuſtitiæ. Non juſtitia.

Eadem eſt verbi diviſio.

Hæc diviſio nominis, eſt nominis tantùm diviſio, non rei.

Regula.

Caſus nominis, & nomen infinitum, ad dialecticos non pertinent.

Nomen quid.

Nomen eſt vox ad placitum ſignificans ſine tempore: id eſt, importans nullam temporis differentiam, neque temporis præſentis, neque præteriti, neque futuri.

Divisio nominis.

Nomen duplex.

Simplex, Compositum, } ut { Arbor. Domus.

Regula.

Partes nominis simplicis neque videntur aliquid significare, nec aliquid significant omnino. Partes nominis compositi videntur aliquid significare, nihil tamen significant: ut in hac dictione, Domus, mus, nihil significat, quemadmodum est pars hujus nominis Domus.

Discrimen inter nomen & verbum.

Nomen & verbum in hoc tantùm differunt, quòd verbum consignificat tempus, id est, præter suam significationem, aliquam temporis differentiam importat: Nomen verò significat aliquando tempus, sed nullam temporis differentiam, vt dies, mensis.

Propositio quid.

Propositio est oratio indicativa, verum vel falsum significans, id est, Dialectica propositio constat ex verbo indicativi modi, & temporis præsentis. Nam orationes cæterorum modorum, nisi ponantur pro indicativa oratione (ut, Vellem esse iustus, id est, volo) non dicuntur dialecticæ propositiones, quia neque verum, neque falsum significant.

Veritas & falsitas in tribus reperitur.

Intellectu, Voce aut scriptis, Rebus ipsis: } ut in { Subjecto. Significatione. Causa.

Discrimen

Discrimen inter verbum & casum verbi.

Dicitur verbum, quod est indicativi modi & temporis præsentis: casus verbi, alterius modi & alterius temporis.

De oratione.

Oratio est vox significativa secundum placitum, non sic ut instrumentum, cuius partes separatim aliquid significant, ut dictio, non ut affirmatio & negatio.

Dubitationis solutio.

Instrumentum duplex: { Proximum. / Secundarium.

Oratio est instrumentum secundarium & remotum non proximum: nam omne proximum instrumentum naturaliter significat.

Oratio duplex: { Simplex. / Composita.

1 *Partes simplicis orationis significant ut dictio, non ut affirmatio vel negatio: partes orationis compositæ significant, ut affirmatio & negatio, ut partes syllogismi.*

2 *Si loquamur de simplici oratione, partes vicinæ accipiendæ sunt: si de composita, partes remotæ intelliguntur.*

Regula.

Partes remotæ compositæ orationis, sunt literæ, syllabæ, dictiones: partes vicinæ, ut affirmatio & negatio significant.

Explicanda est propositio si fuerit implicita, &c.

Propositionum, aliæ sunt { Implicitæ. / Explicitæ.

Explicita est propositio, in qua explicantur subiectum, prædicatum, & copula. Implicita verò propositio est, quando aliquod horum deest.

Regula

Joannis Setoni

Regula.

Verba ſubſtantiva ſunt, Sum, forem, fio, exiſto: cætera omnia verba ſunt adiectiva.

Propoſitio poteſt conſtare ex verbo tantùm primæ vel ſecundæ perſonæ, & aliquando tertiæ, quoties certa perſona verbo intelligitur, vt, Pluit, nimirum vel Deus, vel natura.

SETON. PRopoſitionum alia Categorica, alia Hypothetica: illa ſimplex, hæc compoſita.

De hypothetica poſtea ſuo loco eſt dicendum.

Categorica eſt ſimplex propoſitio vno tantùm principali verbo contenta: ut, inſcitia eſt loquax.

Categoricam quadrupliciter dividunt: primo in vniverſalem, particularem, indefinitam, & ſingularem: iterum in affirmativam, & negativam: deinde in veram, & falſam: poſtremò in neceſſariam, contingentem, & impoſſibilem.

Vniverſalis propoſitio eſt, quando vniverſale ſignum ſubjecto præponitur: ut, Omnis poteſtas eſt à Deo. Nulla turpitudo eſt cum honeſtate conjuncta.

Particularis eſt, quando ſubiecto præponitur nota particularis: ut, Aliqua mulier linguam refrænat. Quidam monachus non eſt indoctus.

Indefinitam dicimus, quando nullum ſignum

gnum antecedit ſubjectum: ut, Labor improbus omnia vincit. Hæc de communi ſubjecto ſunt intelligenda.

Singularis enuntiatio eſt, quando ſubjectum eſt vox ſingularis: ut, Londinum eſt urbium præclariſſima. Hoc falernum non eſt dulce.

Signa univerſalia ſunt, omnis, quiſque, unuſquiſque, totus, univerſus, ſingulus, cunctus, uterque, quis non, nullus, nemo, & neuter.

Signa particularia ſunt, unus, alter, aliquis, quidam, &c.

Affirmativa dicitur, ubi principale verbum affirmatur: ut, Forma eſt inconſtans.

Negativa verò, ubi principale verbum negatur: ut, Charitas non eſt ſuſpicioſa.

Propoſitio vera eſt, quæ cum ſignificatione ſua re conſentit: ut, Deus eſt omnipotens.

Falſa autem eſt, cujus ſignificatio à re diſſentit: ut, Stellæ decidunt.

Neceſſaria eſt, ubi prædicatum neceſſariò convenit ſubjecto: ut, Smaragdus eſt lapis.

Contingens dicitur, cujus extrema nullâ neceſſitate cohærent: ut, Philoſophus eſt dives.

Impoſſibilis eſt, cujus ſignificatio ex natura rei repugnat veritati; ut, lapis ſentit.

Propo-

Joannis Setoni

Regula.

Verba ſubſtantiva ſunt, Sum, forem, fio, exiſto: cætera omnia verba ſunt adiectiva.

Propoſitio poteſt conſtare ex verbo tantùm primæ vel ſecundæ perſonæ, & aliquando tertiæ, quoties certa perſona verbo intelligitur, vt, Pluit, nimirum vel Deus, vel natura.

SETON. PRopoſitionum alia Categorica, alia Hypothetica: illa ſimplex, hæc compoſita.

De hypothetica poſtea ſuo loco eſt dicendum.

Categorica eſt ſimplex propoſitio vno tantùm principali verbo contenta: ut, inſcitia eſt loquax.

Categoricam quadrupliciter dividunt: primo in vniverſalem, particularem, indefinitam, & ſingularem: iterum in affirmativam, & negativam: deinde in veram, & falſam: poſtremò in neceſſariam, contingentem, & impoſſibilem.

Vniverſalis propoſitio eſt, quando vniverſale ſignum ſubjecto præponitur: ut, Omnis poteſtas eſt à Deo. Nulla turpitudo eſt cum honeſtate conjuncta.

Particularis eſt, quando ſubiecto præponitur nota particularis: ut, Aliqua mulier linguam refrænat. Quidam monachus non eſt indoctus.

Indefinitam dicimus, quando nullum ſignum

gnum antecedit ſubjectum: ut, Labor improbus omnia vincit. Hæc de communi ſubjecto ſunt intelligenda.

Singularis enuntiatio eſt, quando ſubjectum eſt vox ſingularis: ut, Londinum eſt urbium præclariſſima. Hoc falernum non eſt dulce.

Signa univerſalia ſunt, omnis, quiſque, unuſquiſque, totus, univerſus, ſingulus, cunctus, uterque, quis non, nullus, nemo, & neuter.

Signa particularia ſunt, unus, alter, aliquis, quidam, &c.

Affirmativa dicitur, ubi principale verbum affirmatur: ut, Forma eſt inconſtans.

Negativa verò, ubi principale verbum negatur: ut, Charitas non eſt ſuſpicioſa.

Propoſitio vera eſt, quæ cum ſignificatione ſua re conſentit: ut, Deus eſt omnipotens.

Falſa autem eſt, cujus ſignificatio à re diſſentit: ut, Stellæ decidunt.

Neceſſaria eſt, ubi prædicatum neceſſariò convenit ſubjecto: ut, Smaragdus eſt lapis.

Contingens dicitur, cujus extrema nullâ neceſſitate cohærent: ut, Philoſophus eſt dives.

Impoſſibilis eſt, cujus ſignificatio ex natura rei repugnat veritati; ut, lapis ſentit.

Propo-

QUinque modis dividitur propositio. Primò secundum substantiam (ut dictum est) in categoricam & hypotheticam, quæ latinè sonant simplicem & compositam. Categorica ergo est simplex propositio, uno tantùm principali verbo contenta: ut, Magistratus vitum arguit. Vultus indicat iram. De hypothetica in fine huius libri dicetur. Categorica in universalem, particularem, infinitam, & singularem dividitur. Universalis

ſalis eſt, in qua univerſalis nota præponitur toti ſubjecto: ut, Omnis poteſtas impatiens conſortis erit: Nulla tyrannis diu durat. Particularis itidem, in qua nota particularis ſubjectum præcedit: ut, aliqua culpa eſt inexcuſabilis: aliquis ſenex non eſt moroſus. Signa vniverſalia ſunt, omnis, quiſque, unuſquiſque, totus, univerſus, ſingulus, cunctus, uterque, quis non? nullus, nemo, neuter, &c.

Signa particularia ſunt, unus, alter, aliquis, quidam. Quidam tamen fit frequentiùs ſingularitatis nota, nec unquam aliter ſumitur, ſi Vallæ credas. Sunt qui univerſalibus adjiciunt adverbia quædam, ut ſemper, nunquam; & particularibus, aliquando, quandoque, interdum: ſed ſequentem vocem potiùs quàm integram propoſitionem diſtribuunt. Quod facilè deprehendas, ſi ipſa adverbia diſſolveris: ut, Nunquam creſcit lapis, id eſt, lapis nullo tempore creſcit: Semper ridet Democritus, id eſt, Democritus omni tempore ridet. Hæ propoſitiones non ſunt univerſales. Infinitam dicimus, in qua ſubjectum ſigno vacat: ut, Pax bello optatior. Hæc, juxta Vallæ ſententiam, ferè ſemper cum univerſali conſpirat.

Cenſet Lodovicus infinitam, ex ſenſu, nunc in univerſalem, nunc in particularem, quandoque in ſingularem tranſire: ut, Virtus eſt præponenda opibus, univerſalis eſt: Animal reſpirat, particularis: Homo adeſt, ſingularis, ſi priùs de aliquo fueris loquutus. Hæc de communi ſubjecto ſunt intelligenda. Nam ſi ſubjectum ſingulare fuerit; qualecunque ſignum præcedat, ſingularis eſt propoſitio. Propoſitio ſingularis eſt, cujus ſubjectum eſt terminus ſingularis: ut, Thameſis fluit, & refluit. Nec refert, quæ negatio aut quod ſignum præcedat, nihil enim virium habent in voces ſingulares. Hujus ſpecies eſt collectiva propoſitio, licèt univerſalitatem præ ſe ferat: ut, Omnes ſapientes Græci fuêre ſeptem, id eſt,

eſt,hi omnes pariter fuêre ſeptem: & ut ad Papyrium dixit Fabius:Omnes magiſtratus, & populus Romanus, majorem habent poteſtatem quàm Dictator, id eſt,non Conſul,non Prætor,non Quæſtor,non Ædilis per ſe ſingulatim,ſed omnes unà juncti. Adverte igitur cùm ſignum univerſale nunc diviſivè,nunc collectivè ſumatur,nullam eſſe propoſitionem univerſalem, niſi diviſivè ſumatur nota vniverſalis. Vives,inter univerſalem & ſingularem, miſtam facit : ut Socrates ſemper deambulat in Academia. Idem recenſet univerſales convenientiæ,& reflexas:ut,Omnia tuâ cauſâ volo,id eſt,omnia quæ conveniunt. Ariſtoteles omnia diligenter ſcripſit, id eſt,omnia quæ ſcripſit: quas ego omnes ſingulares dixerim. Quantitas enim propoſitionis ex ſubjecto potiſſimùm eſt æſtimanda: ut,Sol elevat vapores ſingulis diebus,particularis eſt. Cicero omnes Romanos anteibat eloquentiâ, ſingularis eſt. Nec tamen univerſalis nota in iſtis caret ſuâ vi, ſed eam in ſequentem dictionem imprimit: efficitque, ut ea univerſaliter ſupponat, & copulativè deſcendat;de quo ſuo loco plura dicentur.

Ad hæc,categoricam dividit Tullius in aientem & negantem, id eſt, in affirmativam & negativam. Alii vocant affirmationem & negationem, quæ in connexionem verbi incumbunt: ut, Avaritia eſt inſatiabilis:Sol non eſt calidus. Affirmativa eſt, vbi principale verbum affirmatur: ut, Pueri ſunt futiles. Negativa, ubi principale verbum negatur:ut, virtus non eſt caduca. Miſta hîc fortaſſe locum habebit,ut Socrates aliter diſputat quàm Plato: Tu omnibus præterquam pecuniâ abundas. Negatio vim ſuam amittit, ni principali copulæ addatur. Hæ enim ſunt affirmativæ: Odi ſapientem, qui ſibi non ſapit: Pater qui non caſtigat liberos,eos indulgentiâ corrumpit. Nec ſemper neceſſum eſt negationem exprimi: ut, Arrogans eſt alius ſapiente bonóque,&c. De negatione infinita

nihil

nihil hoc loco mihi dicendum est, de qua & aliis non paucis, plura subtiliùs quàm utiliùs à quibusdam præcipiuntur. Præterea, categorica in veram & falsam, ut ex ejus definitione liquet, dirimitur. Quarum gratiâ hæc omnia hactenus docuimus. Frustra enim (ut prædiximus) cætera cognoscis, si nescias veram propositionem à falsa discernere. Propositio vera est, quæ ut res se habet significat: vt, Christus piorum preces exaudit: Troja olim diruta fuit: Deus impietatem puniet. Falsa, quæ aliter quàm res est, designat: ut, Deus non respicit mortales: Opes reddunt hominem felicem. Valla semiveram & semifalsam addit, in qua re eum nemo, quòd sciam, dignatur imitari. Postremò, ultima enuntiationis divisio, quæ est in necessariam, contingentem, & impossibilem, ex vera & falsa gignitur. Nam ut vera in necessariam & contingentem, ità falsa in impossibilem & contingentem secatur. Necessaria est, ubi extrema simpliciter perpetuâ necessitate cohærent: ut, Fortitudo est virtus. Id fit quoties definitio aut ejus pars definito tribuitur: ut, Virtus est habitus voluntatis bonus: Mendacium est vitium: Leo est rugibilis. Hujus certa & perpetua est veritas, nec temporis fluxu mutatur. Contingens dicitur, cujus prædicatum contingenter cohæret subjecto: ut, Juvenis est studiosus: Mercator est cupidus. Harum non est necessaria veritas, sed ex æquo veræ vel falsæ possunt esse. Nam etsi quod præteriit nequeat mutari, & quæ sunt, cùm sunt, authore philosopho, necesse sit esse: tamen hæ non simpliciter, sed necessariæ ex hypothesi, id est, suppositione dicuntur. Quòd illorum materia sit contingens, id fit quoties accidens adjicitur subjecto, nisi fortè & abstracta subjecto conveniant: ut, Deus est justitia, veritas, sapientia, bonitas, quæ in abstractis, soli Deo congruunt. Subjectum, ut hîc definitur, dicitur, cui accidentia insunt: ut, Timiditatis

subjectum

dicitur, cui accidentia insunt: ut, Timiditatis subjectum est lepus, virtutis anima, albedinis paries, &c. Impossibilis est, quæ nunquam potest esse vera: ut, Saxum cernit, homo est immortalis. Hoc etiam de impossibili per se & simpliciter dictum volo, & non per accidens: quod, nè molestus sim discentibus, veluti multa alia, prudens prætereo.

Divisio propositionis.

CARTER. Propositio dividitur secundum

Substantiam,	in	Categoricam & hypotheticam.
Quantitatem,		Universalem & particularem. &c.
Qualitatem ex voce,		Affirmativam & negativam.
Qualitatem ex re,		Veram & falsam.
Qualitatem ex materia subjecta,		Necessariam, contingentem & impossib.

Regula.

Propositio & quæstio eadem sunt secundum rem ipsam. Discrimen inter problema dialect. & propositionem sive quæstionem dialecticam.

Duplex est eorum differentia: { Ex parte rei, / Ex modo proferendi.

Dialectica propositio est interrogatio alterius tantùm partis. Problema dialecticum est utriusque partis interrogatio: ut, An oppositorum eadem sit disciplina: quæstio est dialectica: An oppositorum eadem sit disciplina, an non; problema est.

Hypothetica propositio quid.

Hypothetica propositio est conjunctio duarum categoricarum propositionum, vel plurium, cum aliqua conjunctione, vel adverbio æquivalente: ut, si dies est, lux est.

Categorica propositio quid.

Categorica propositio est pura propositio, constans ex uno subjecto, uno prædicato, & una copula.

Divisio

Divisio categor. propositionis.

Categorica propositio alia, { Pura. / Impura.

Solutio tacitæ objectionis.

Modales propositiones continentur sub categoricis propositionibus, dicuntur enim categoricæ impuræ.

Universalis Propositio quid.

Universalis propositio est, quando universale signum universali subjecto præponitur: ut, Omnis virtus est laudabilis.

Particularis propositio est, quando particulare signum præponitur universali subjecto: ut, Aliquis homo est doctus.

Indefinita propositio est, quando nec nota universalis, nec particularis antecedit subjectum: ut, Mala vituperantur.

Regula.

Indefinita propositio, ex sensu aliquando sumitur ut universalis, aliquando ut particularis, quandoque ut singularis.

Hæc de communi subjecto, &c. id est, nulla propositio est universalis, particularis, vel indefinita, nisi subjectum fuerit vox universalis.

Regula.

Omnis collectiva propositio est singularis.

Dicitur collectiva propositio, quando vel subjectum, vel prædicatum sit numerus: ut, Omnes sapientes Græciæ fuere septem: Omnes digiti hujus manus sunt quinque.

Signum universale dupliciter sumitur: { Disjunctivé. / Copulativé.

Nulla propositio universalis est, nisi signum divisivè, sive disjunctivè sumatur.

Omnis affirmatio est alicujus de aliquo: omnis item negatio est alicujus de aliquo.

Diviſio negationis.

Negatio triplex eſt.

Simplex, Privans, Infinitans, } ut { Homo non eſt juſtus. / Homo eſt injuſtus. / Homo eſt non juſtus.

Regula.

Negatio privans non eſt negatio re ipſâ, ſed affirmatio, ut Homo eſt indoctus, propoſitio affirmativa eſt, quia principale verbum affirmatur. Eadem eſt ratio negationis infinitantis.

Materia propoſitionum triplex { Neceſſaria. / Contingens. / Impoſſibilis.

Dicitur propoſitio neceſſaria, in qua genus prædicatur de ſpecie: ſpecies de individuo: differentia de ſpecie & individuo: proprium de ſpecie: accidens inſeparabile de ſubjecto: definitio de definito, interpretans de interpretato, &c.

De Quæſtione.

SETON. EAſdem omnino cum propoſitione diviſiones recipit & quæſtio. Alia enim eſt ſimplex, alia compoſita: ſimplex in univerſalem, particularem, indefinitam, ſingularem; in veram & falſam; in affirmativam & negativam; in neceſſariam, contingentem, & impoſſibilem dirimitur. Nec mirum, quum quæſtio nihil ſit aliud, quàm propoſitio cum interrogatione elata: ut, An oppoſitorum eadem ſit diſciplina? An non ſint Antipodes?

De interrogationibus.

TRes ſunt interrogationes propoſitionis, quæ, quanta, qualis: quibus interrogamus naturas

naturas pronunciatorum, & quæ illis accidunt omnia: vt ſi quærere velles, quæ, quanta, qualis, ſit hæc propoſitio, Quiſque homo avaritiæ ſtudet: reſpondemus eſſe categoricam, univerſalem, affirmativam, falſam, & contingentem. Quæ, quanta, qualis, Aliquod brutum non eſt inſenſile: reſpondemus eſſe categoricam, particularem, negativam, veram, & neceſſariam, & ita de ſimilibus.

QUæſtio, demptâ interrogationis notâ, propoſitio eſt: ita mirum videri non debet, ſi eaſdem cum propoſitione diviſiones recipiat. Sed quia in quæſtione nihil eſt obſcurum, tria illa interrogationum genera aggrediar. Habet enim propoſitio, juxta ſuas diviſiones, aliquot interrogationes, quas vulgo vocant quæſitiva: quæ? quanta? qualis? Quæ, quærit, ſitne propoſitio categorica, an hypothetica: Quanta, quærit, ſitne univerſalis, particularis, indefinita, an ſingularis: Qualis, affirmativáne an negativa. Ut percontanti, quæ, quanta, qualis ſit hæc, Uſus in naturam vertitur: reſpondemus eſſe categoricam, indefinitam & affirmativam. Deinde ſi iterum roges qualis affirmativa, adjicimus eſſe affirmativam veram. Poſtremò, ſi qualis vera interroges, affirmamus eſſe veram contingentem. Atque hoc modo de unaquaque propoſitione licet interrogare, donec abſoluta fuerit reſponſio. Quòd ſi primâ interrogatione perfecta ſit reſponſio, non ultrò quærendum eſt: ut, quæ? quanta? qualis eſt? Quiſque homo eſt bipes. Huic interrogationi ſatisfactum erit, ſi dixeris eſſe categoricam, univerſalem, affirmativam, veram. Alioqui donec plenè ſatisfecerit adverſarius, ultrà per poſtremam illam interrogativam licet ſciſcitari: nempe ut prima propoſitionis diviſio ſecundum ſubſtantiam, id eſt, eſſen-

tiam,& ſecunda ſecundum quantitatem, ità tres reliquæ ſecundum qualitatem dantur. Unde interrogatio,quæ? ſubſtantiam quærit: quanta? quantitatem: denique,qualis? propoſitionis qualitatem quærit, hoc eſt,num affirmetur, num vera ſit, num neceſſariò vera,an ſecus.

Tres ſunt interrogationes Propoſitionis.

Verſiculus.

CARTER. Quæ?ca. vel hyp. qualis? ne. vel aff. un. quanta? par. in. fin.

Expoſitio verſiculi.

Quæ, quærit utrùm propoſitio ſit categorica, vel hypothetica: quanta, utrùm ſit univerſalis, particularis, indefinita, vel ſingularis: qualis, utrùm affirmativa, vel negativa: qualis affirmativa vel negativa; vera, vel falſa: qualis vera vel falſa, contingens, vel neceſſaria.

De ſuppoſitione.

SETON. Suppoſitio eſt ſignificationis terminorum in propoſitione acceptio: plurimum momenti habet ad inquirendam veritatem.

Veritas autem pronuntiati ex quantitate, qualitate, verbo & affectionibus eſt inquirenda: ſed præcipuè ex quantitate, ut patebit ex regulis.

1 Subjectum ſemper capitur in univerſali univerſaliter, in particulari particulariter, in ſingulari ſingulariter.

2 Prædicatum verò in univerſali affirmativa immobiliter ſupponit, & confusè capitur.

In

In particulari & ſingulari affirmativis, particulariter.

In univerſali, particulari, & ſingulari, negativis univerſaliter, niſi fuerit ſingulare.

3 Vera eſt igitur univerſalis affirmativa, cùm prædicatum omnibus & ſingulis ſui ſubjecti ſingularibus congruit. Negativa quando nullis.

4 Particularis eſt vera, quando prædicatum verè affirmatur de aliquo, vel aliquibus eorum quæ in ſubjecto continentur: aut negatur ſi ſit negativa.

5 Singularis nullam habet dubitationem, quod unum & non ampliùs reſpicit. Quare, vera eſt ſingularis affirmativa, quando extrema conveniunt: negativa, quando diſconveniunt.

Exempla hæc ſunto: Omnis homo equitat, non erit hæc vera niſi unuſquiſque hominum equitet: falſa, ſi Cæſar, vel ullus alius non equitet. Et hæc, Aliquis homo pingit: vera erit ſi Zeuxis ſolus, aut ullus pingat: falſa, quando nemo pingit.

Notandum eſt, majorem eſſe vim in nota univerſali quàm particulari, & negatione, quàm in affirmatione. Denique univerſalia pronuntiata, tum in aſcenſu tum in deſcenſu, conjunctionem copulativam aſſumunt, quemadmodum & particularia disjunctivam.

Joannis Setoni

Verſiculi.

A *A, prius extremum reddit generale, ſed alt'rum*
Semper confundit.
E *Generale, E, reddit vtrunque.*
I *Particulariter, I, quicquid ſibi ſumit habebit.*
O *Particulare prius facit, O, generale ſecundum.*
Proſolo & certo diſcretum ſumitur uno.

IAm quoniam res eſt valdè, & in primis neceſſaria, noſcere, quid verum & quid falſum, plura adhuc pueros docere oportet de veritate dignoſcenda, quæ præcipuè in Suppoſitione eluceſcit. Suppoſitio eſt ſignificativi termini in propoſitione acceptio. Termini propriè dicuntur in propoſitione duo, ſubjectum & prædicatum, qui variè pro quantitatis ratione ſumuntur. Nunc enim latior, nunc anguſtior eſt extremorum ſignificatio. Subjectum in univerſali largiſſimè ſignificat, in ſingulari parciſſimè, in particulari medio quodam modo: ut, Hic homo eſt medicus, Subjectum, id eſt, hæc vox, Hic homo, ſolùm unum certũ hominem, & non ampliùs ſignat. Aliquis homo eſt medicus, Homo in hac propoſitione Galenum, vel Hippocratẽ, vel quemvis alium medicum ſignificat. Omnis homo eſt medicus. Hîc verò, Homo pariter pro unoquoq; homine ſumitur. Nec minus diverſitaris in negativis reperitur. Atq; hoc eſt quod dictum eſt in prima regula, Subjectũ in univerſali univerſaliter, in particulari particulariter, in ſingulari ſingulariter capitur. Univerſaliter, hoc eſt pro univerſis, & ſingulis ſuis ſignificativis, particulariter, hoc eſt, pro uno aliquo, ſed non pariter pro unoquoq; ſignificativo: Singulariter, hoc eſt, pro uno tantùm ſingulari, & eo certo. Nec poteſt (opinor) planiùs & manifeſtiùs de his dici, quàm in textu explicuimus. Aſcenſus fit ab inferioribus ad communiora, ut, Juſtitia eſt amplectenda, & fortitudo, & temperantia, & prudentia:

prudentia: ergò omnis virtus eſt amplectenda. Hoc oppidum eſt expugnabile, vel hoc, vel hoc, vel iſtud, & ità de cæteris, ergò aliquod oppidum eſt expugnabile. Deſcenſus fit è regione à ſuperiori ad inferiora, ut, Omnis civitas mœniis eſt munita, ergò Londinum, & Roma & ſingulæ ſunt mœniis munitæ: Aliqua quadrupes eſt mutila: ergò vel hæc, vel hæc, vel iſta eſt mutila: & ſic de ſingulis. Signa & negationes alterant ſuppoſitionem. Adverbia, conjunctiones, & cætera orationis ſupplementa non mutant ſuppoſitionem propriè, licèt veritatẽ & ſenſum alterare poſſint. Non eſt idem ſenſus in his, Quidam homo vigilat, &, Quidam homo ſemper vigilat: attamen extrema in vtraque ſimiliter ſupponunt, nimirum particulariter. Copularum autem ampliationes, & reſtrictiones (quas vocant) prudens omitto: ut, Polycletus ſculpit: Polycletus ſculpturus eſt: Polycletus poteſt ſculpere: quæ facilè ingenioſis patebunt.

Notandum eſt præterea, voces quaſque trifariam accipi poſſe. Quandoq; perſonaliter, hoc eſt, ſignificativè: ut, Fraxinus non facit fructum Quandoq; materialiter, hoc eſt, pro ipſa nuda vôce: ut, Fraxinus eſt nomen fœminini generis. Aliquãdo copulatim, hoc eſt, pro natura ſua cõmuni: ut, Fraxinus eſt ſpecies arboris: Frumentum eſt genus: Albedo eſt accidens, & cætera: quæ omnia de induſtria prætereo. Nam à grammaticis petenda eſt ſuppoſitio propria & impropria, materialis, & perſonalis: nos quæ propria ſunt hujus artis ſolùm exequemur. Ad hæc ſuppoſitio reſpicit ſolummodo contingentes propoſitiones, quantum ad veritatis varietatem attinet. Nam in neceſſariis haud ità multum refert ad ſenſũ, univerſalitér ne, an particulariter quid enuncies: ut, Smaragdus eſt lapis, & quiſque ſmaragdus eſt lapis. In contingenti materia non ità eſt. Multum enim intereſt an dixeris, Quidam homo pingit: an

Quisque homo pingit: cùm illa sit vera, quando solùm Zeuxis pingit, aut Apelles, aut ullus hominum pingit: hæc verò falsa erit, si ullus sit omnino qui non pingit. Sed de his priùs satis diximus.

De suppositione.

CARTER. *Suppositio est significationis terminorum, &c. id est, suppositio docet quomodo subjectum & prædicatum sumantur in quavis propositione.*

Regula.

Suppositio non est totius propositionis, sed terminorum propositionis.

Veritas propositionis inquirenda est ex quantitate, utrum sumatur universaliter, particulariter, vel singulariter: ex qualitate, utrùm sit affirmativa, vel negativa, &c.

De affectionibus propositionum.

Affectiones propositionum sunt, oppositio, æquipollentia, & conversio.

Confusa suppositio duplex: { Confusa tantùm. / Confusa distributiva.

Subjectum in universali affirmativa confusè & distributivè supponit: prædicatum confusè tantùm.

Immobiliter supponere quid.

Dicitur immobilis suppositio, quando ex subjecto non fit prædicatum simpliciter vertendo: ut, Omnis temperantia est virtus: ergò, Omnis virtus est temperantia, non sequitur. Quando termini sunt convertibiles, nulla est immobilis suppositio, licèt prædicatum confusè capiatur.

Regulæ.

1 *Nulla propositio est vera, in qua universale signum præponitur prædicato, nisi prædicatum & subiectum sint termini convertibiles: ut, Homo est omne risibile.*

2 *Subjectum universale efficit propositionem universalem: signum cur sumatur universaliter.*

Univer-

Universaliter capi, quid.

Universaliter, pro omnibus & singulis sui subiecti significativis: particulariter, pro aliquo, vel aliquibus.

In universali, particulari, & singulari negativis, prædicatum supponit universaliter, nisi prædicatum fuerit singulare.

Major est vis in negatione quàm in affirmatione: quia universalis negativa efficit, ut prædicatum & subiectum sumantur universaliter. vel, Major est vis in negatione quàm in affirmatione, quia faciliùs res improbantur, quàm probantur: facillimum enim est definitionem refellere, confirmare difficillimum; tum proprium, deinde genus, postremo in loco accidens universale: attamen particulare accidens faciliùs confirmatur quàm refellitur: ut citiùs probatur aliquem hominem esse doctum, quàm nullum hominem esse doctum. Attamen particularis negativa faciliùs probatur quàm improbatur.

Denique universalia pronuntiata, &c.

Ascensus fit ab inferioribus, ad magis superiora: ut, Ars habitus est, Scientia habitus est, ergò omnis virtus intellectiva habitus est.

Descensus fit à superioribus ad inferiora: ut, homo est animal: ergò, Joannes, Richardus, & singuli homines animalia sunt.

Versiculorum expositio.

A, Universalis affirmativa, facit prius extremum, id est, subjectum, universaliter sumi: sed alterum, id est prædicatum, confusè capitur.

E, Universalis negativa, facit cùm prædicatum tum subjectum universaliter sumi.

I, Particularis affirmativa facit subjectum, & prædicatum particulariter sumi.

O, Particularis negativa, facit ut subjectum particulariter sumatur, prædicatum verò universaliter.

Discretum

Discretum, individuum dicitur, quod minimè in partes universales secari potest.

De Repugnantium formis.

SETON. PRopositionum genera quadrifariam invicem referuntur, nimirum ut contrarietas, subcontrarietas, contradictio, & subalternatio.

Contrariæ sunt duæ universales, altera affirmativa, altera negativa, ut, Omne metallum liquescit: Nullum metallum liquescit.

Subcontrariæ, duæ particulares, hæc affirmativa, illa negativa, ut, Aliqua arbor est sativa, Aliqua arbor non est sativa.

Contradictoriæ sunt universalis & particularis, quarum altera affirmatur, altera negatur, ut, Omnis eruditio auget virtutes, Aliqua eruditio non auget virtutes; vel, Nulla mater trucidat liberos, Aliqua mater trucidat liberos: vel duæ singulares: ut, Terentius fuit comicus, Terentius non fuit comicus.

Subalternæ sunt, universalis & particularis pariter affirmativæ, aut pariter negativæ: ut, Omne vitium est fugiendum, Aliquod vitium est fugiendum: aut sic, Nullum bellum est licitum: Aliquod bellum non est licitum.

Omnis virtus labore paritur: } Contrariæ, { Nulla virtus labore paritur.



Aliqua virtus labore paritur: } Subcontrariæ, { Aliqua virtus non labore paritur.

Prædictarum leges.

Contrariæ hanc sortiuntur naturam: ut, si una sit vera, alteram esse falsam sit necesse. Nam si vera sit, Omnis avarus est miser: falsa est, Nullus avarus est miser. Non contrà requiritur in contingenti materia.

Subcontrariæ nunquam reperiuntur simul falsæ, sed in contingenti materia possunt simul esse veræ: vt, Conscius pallet, Conscius non pallet.

Contradictoriæ acerrimè & ex diametro inter se pugnant, quippe quæ nunquam, neque pariter

riter veræ, neque pariter falsæ reperiuntur: Sed si hæc sit vera, falsa erit illa; è contrario, si illa falsa fuerit, hæc necessariò vera erit.

Subalternæ non opponuntur, ut dictum est: sed particularis in veritate sequitur universalem, non contrà: Universalis autem in falsis sequitur suam particularem, non contrà. Nempe ut existenti universali verâ, vera est & ejus particularis: ità è regione, falsâ particulari, falsa quoque est necessariò ejus universalis. Nec unquam fallunt hi canones, qui tum ad probandas propositiones, tum ad disputandum mirè sunt utiles.

DE modalibus & hypotheticis aliàs, interim de oppositione aliquid est dicendum. Dictum autem est, incompositas voces quatuor modis opponi: verùm propositionum propriè trifariam tantùm habetur oppositio (licèt quadrifariam referantur) nimirum contrarietas, subcontrarietas, & contradictio. Subalternæ verùs invicem referuntur, quàm opponuntur. Cæterùm reliquæ species inter sese opponuntur. Contrariæ sunt duæ universales in qualitate repugnantes: hoc est, universalis affirmativa, & universalis negativa eiusdem per omnia subjecti, copulæ & prædicati: ut, omnis piscis est mutus, nullus piscis est mutus. Subcontrariæ sunt duæ particulares similium partium, in qualitate repugnantes: ut aliqua culpa est excusabilis, aliqua culpa non est excusabilis. Contradictoriæ sunt duæ propositiones earundem partium, sed tum quantitate, tum qualitate repugnantes: Altera enim universalis est, altera particularis; & altera affirmatur, altera negatur: ut, Omne bonum est à Deo, aliquod bonum non est à Deo: Aliqua scientia præstat virtute, nulla scientia præstat virtute; vel duæ singulares; ut, Milo interfecit Clodium;

Clodium: Milo non interfecit Clodium. Talibus dialectici, neſcio quo jure, nullum locum in figura (ut loquũtur) nec in æquipollentia aut converſione reliquêre. Has enim ſolét dialectici vocare cõtradictorias de lege, & non contradictorias de forma. Nam quamvis formam contradictionis non ſervant, hoc eſt, non repugnant quantitate, tamen legem ſubeunt eandem, hoc eſt, qualitate per omnia repugnant, ut contradictoriæ: hinc eſt, quòd in repugnantium tabula, quam figuram dicunt, non locantur. Subalternæ ſunt univerſales & particulares pariter affirmativæ, vel pariter negativæ: ut, Omne perjurium eſt caſtigandum, aliquod perjurium eſt caſtigandum: aut ſic, Nulla fraus eſt licita: aliqua fraus non eſt licita.

Porrò, in hac mutua enuntiationum collatione, non ſolùm vitanda eſt omnis æquivocatio, amphibologia, tranſlatio, verùm etiam curandum eſt, nè propoſitionum partes ullo modo mutentur: id quod etiam in æquipollentiis, converſionibus, argumentationibus, obnixè debet obſervari. Hæ enim non repugnant, Omnis equus eſt ſolipes. Nullus bos eſt ſolipes, nec iſtæ, Galea eſt levis, & nulla galea eſt levis, ſi levis in priori, ut aſpero opponitur, in altero, ut gravi, ſumatur: nec iſtæ, Omnis ſtolidus eſt infans: quidam ſtolidus non eſt infans, ſi infans in altera ſolùm ſumatur metaphoricé. Satis de formis dictum eſt. Nunc de legibus dicendum eſt ſimili brevitate. Contrariæ hanc legem obſervant, ut in vero nunquam conveniant, in falſo aliquando conveniant, ſi materia ſit contingens. Si ergò prior ſit vera, neceſſariò ſequitur alteram fore falſam, non contrà: poſſunt enim ſimul eſſe falſæ, ut. Omnis homo eſt medicus, nullus homo eſt medicus. Subcontrariæ imitantur cõtrarias, ſed ex adverſo: nam non poſſunt ſimul eſſe falſæ, veræ poſſunt in contingentibus: ut, conſcius pallet, conſcius

non

non pallet. Ubi materia non ſit contingens, quoties una eſt vera, altera eſt falſa; contrà ſi hæc falſa, illa vera erit neceſſariò: ut, Brutum ſentit, Brutum non ſentit. Atq; hoc etiam in contrariis tenet ſimiliter. Contradictoriarum acerrima eſt pugna, nam ut ex diametro locantur, ita ex diametro (ut eſt in proverbio) repugnant, quippe quæ nunquam ſimul veræ, nec ſimul falſæ inveniuntur in ulla materia, ſed ſi prior ſit vera, poſterior erit falſa (nam tum quantitate, tum qualitate repugnant) quod in cæteris non eſt neceſſum. Subalternæ propriè non opponuntur, quantitate tamen ſemper ſunt diſſimiles, & nonnunquan etiam aliquâ qualitate. Nam licèt ſint pariter affirmatæ, vel negatæ, non tamen ſunt ſemper pariter veræ, vel pariter falſæ, ſed ubi contingens eſt materia, poteſt hæc eſſe vera, illa falſa. Sed hoc eſt generale, quòd particularis ſequitur ſuam univerſalem in veris, non contrà; & univerſalis ſequitur particularem in falſis. Namq; ut exiſtente univerſali & verâ, vera eſt particularis, ità è regione, falſâ particulari, falſa erit & ejus univerſalis: generales & firmi ſunt ii canones. Has igitur leges volim à pueris ad amuſſim obſervari; quæ ſane ingenioſis vix unius horæ negotium faceſſunt, tamen ratiocinaturo ingentem materiam miniſtrant.

De Oppoſitione propoſitionum.

CARTER *Oppoſitio eſt repugnantia duarum categoricarum propoſitionum, vel qualitate tantùm, vel quantitate tantùm, vel quantitate & qualitate ſimul.*

Repugnantes propoſitiones

Quantitate tantùm, Qualitate tantùm, Quantitate & qual. } ut { Subalternæ. Contrariæ, ſubcontrariæ. Contradicentes.

Cautio.

Propoſitiones quatuor modis, ſcilicet ſecundum prædictam definitionem, ad invicem referuntur, ſed tribus modis

dis opponuntur. Nam ſubalternæ propoſitiones non opponuntur, quia non repugnant qualitate.

Regula.

In omni oppoſitione debet eſſe idem ſubjectum, idem prædicatum, idem tempus: neque ulla debet eſſe æquivocatio in vocibus, aut amphibologia in propoſitionibus.

Duplex conſideratio oppoſitionis.

Forma, { Quantitas, / Qualitas, } Propoſit.

Lex.

Regula.

Duæ ſingulares propoſitiones contradictorio modo opponuntur, ſecundum legem, non ſecundum formam.

Diviſio contradicentium propoſit.

Contradict. tripl.

Supremæ, Mediæ, Infimæ, } ut { Univerſal. particular. / Duæ ſingulares. / Subcontrariæ.

Eadem eſt ratio indefinitæ propoſitionis, quæ eſt particularis, quoad ſuppoſitionem propoſitionum & oppoſitionem, & formam argumentationis.

De lege contrariarum propoſitionum.

Lex ſive conditio contrariarum propoſitionum eſt, vt ſi prior ſit vera, ſecunda erit falſa. Ambæ tamen poſſunt eſſe falſæ, quoties accidens ſeparabile eſt prædicatum: ut, Omnis homo eſt juſtus, Nullus homo eſt juſtus, ambæ ſunt falſæ.

Lex ſubcontrariarum.

Subcontrariæ nunquam reperiuntur ſimul falſæ, ſed ambæ poſſunt eſſe veræ, quoties prædicatum eſt accidens, quia particularis propoſitio eſt vera, ſi prædicatum verè affirmatur de aliquo, vel aliquibus.

Cautio.

Duæ ſubcontrariæ non poſſunt ſimul eſſe veræ, niſi in unaquæ propoſitione diverſum ſubjectum intelligatur.

Lex

Lex contradicentium.

Contradictoriæ acerrimè & ex diametro inter se pugnant: quia repugnant tam quantitate, quàm qualitate, ut si prior propositio fuerit vera, secunda erit falsa, in quacunque materia fuerit: ut, Omnis virtus est amplectenda: Aliqua virtus non est amplectenda.

Subalternarum lex.

Subalternæ non opponuntur, quia non repugnant qualitate: sed particularis est vera, si universalis sit vera: & si particularis fuerit falsa, universalis quoque erit falsa.

Cautio.

Subalternæ possunt aliquando opponi, quoties prædicatum est accidens; nam etsi pariter sunt affirmativæ, vel pariter negativæ, non tamen pariter veræ vel falsæ in materia contingenti: ut, Omnis homo est medicus: aliquis homo est medicus: tamen non propriè opponuntur.

Regula.

Subalternæ opponuntur in materia contingente, secundum qualitatem ex re, non secundum qualitatem ex voce.

De Æquipollentia.

SETON. ÆQuipollentia, est aliquot pronuntiatorum verbis differentium eadem significatio.

Hæc ad veritatem investigandam plurimùm conducit: quandoquidem omnis propositio ejusdem est substantiæ, quantitatis & qualitatis, cum ea cui æquipollet, & idem prorsus sonat.

Universalis affirmativa, præpositâ negatione, æquipollet suæ contradictoriæ: ut, Non omnes possunt esse divites. i. Aliqui non possunt esse divites. Non omnis qui te blandè alloquitur, est amicus. i. Aliquis qui te blandè alloquitur, non

non est amicus. Non tota Europa paruit Alexandro, id est, Aliqua pars Europæ non paruit Alexandro, &c.

Universalis affirmativa, postpositâ negatione, æquipollet (penè semper) suæ contrariæ: ut, Omnis spurcus sermo non procedat de ore vestro, id est, nullus.

Universalis negativa, præpositâ negatione, contradictoriæ suæ æquipollet: ut, Non nemo fatebatur, id est, aliquis fatebatur. Non nihil deerat, id est, quiddam. Nonnunquam reprehenditur veritas, id est, aliquando.

Postposita negatio in universali negativa, semper facit contrarias æquipollere: ut, Nemo non sibi meliùs mallet quàm alteri, id est, unusquisque. Nullus vir non cæcutit aliquando, id est, quisque.

Utraque universalis, pariter præpositâ & postpositâ negatione, cum sua particulari conspirat: ut, Non omnis episcopus non est hospitalis, id est, quidam episcopus est hospitalis. Nonnulli homines non amant literas, id est, aliqui homines non amant literas.

Particularis affirmativa, præpositâ negatione, in contradictoriam transit: ut, Non se quisquam odio habet, id est, nullus.

In neutra particulari potest negatio geminari: nemo omnium (quod sciam) dixerit, Non quidam non studet, pro eo quod est, unusquisque studet.

Quod ad hanc rem ſpectat, jubebo ſtudioſos, latiniſſimos authores conſulere, potiùs quàm dialecticorum turbam, qui in æquipollentiis aſſignandis toto cœlo ſolent errare.

PRoximum eſt, ut ad æquipollentiam & converſionem, ſermonem convertamus. Poteſt æquipollentia dupliciter accipi, vel in dictionibus, vel in orationibus: In dictione, ut idem eſt non nihil & aliquid, nihil non & omne, de quibus Eraſmus in copia ſua diſſerit eruditiſſimè: ſed hîc de ea, quæ in oratione eſt, æquipollentia dicendum occurrit, quæ eſt diverſarum propoſitionum eadem ſignificatio. Hæc (ut cætera taceam) ad præcedentis tabulæ cognitionem multùm conducit. Omnis enim propoſitio æquipollens, in ſenſu eadem eſt cum ea cui æquipollet; eſt etiam ejuſdem eſſentiæ, & quantitatis, & qualitatis per omnia. Nam quoniam hæc, Quiſque ſibi meliùs mallet quàm alteri, eſt categorica, univerſalis, affirmativa, vera, contingens; ſic erit & hæc illi æquipollens, Nemo ſibi non meliùs mallet quàm alteri: & quia idem prorſus ſonant, eundem locum in præcedenti tabula occupant. Falsò putant quidam affirmationem non æquipollere; perperámque multa de negatione præcipiunt. Certè meâ ſententiâ hallucinatur tota penè dialecticorum turba, in tradendis æquipollentiis, non obſervantes latini ſermonis proprietatem, à qua nè latum quidem unguem erat recedendum. Alii omiſſis regulis, ad exempla confugiunt: ſed præcepta certiora & utiliora credo.

Prima regula.

1 Præpoſita negatio in univerſali facit contradictorias æquipollere: ut, Non quiſque verum cernit. Idem eſt ac ſi dicas, quidam non cernit verum. Quandoque tamen, ut in Scriptura ubi Hebraiſmus eſt, æquivalet contrariæ: ut, Non omnes qui dicunt mihi Domine,

Domine, Domine, intrabunt in regnum cœlorum, id est, nulli qui dicunt mihi, Domine, Domine, intrabunt in regnum cœlorum. Id fit potissimùm, interposito verbo inter negationem & signum: ut, Non glorietur omnis caro, id est nulla: Non misereris omnium, qui operantur iniquitatem, id est nullorum.

Secunda regula.

2 Postposita negatio, ex universali affirmativa facit universalem negationem: ut, Omnis immunditia non est inter Christianos nominanda, id est, nulla.

Tertia regula.

3 Universalis negativa, præpositâ negatione, æquipollet suæ contradictoriæ: ut, Non nemo ait, id est, aliquis. Non nihil deest, id est, quiddam. Nonnunquam reprehenditur veritas, id est, aliquando. Quanquam tales propositiones ex adverbiis compositæ non sunt dicendæ universales; sed potiùs inter dictiones est æquipollentia.

Quarta regula.

4 Postposita negatio in universali negativa facit contrarias æquipollere; non equidem dum sunt contrariæ æquivalent, sed quæ alioqui essent contrariæ, ablatâ negatione: ut, Nemo non sibi parcit, id est, unusquisque sibi parcit. Nullus vir non cæcutit aliquando, id est, quisque. Nihil non movetur ab alio, id est, omne. Verùm hæc infinita magis est dicenda, quã universalis, Nullam ætatem non decet religio: hunc enim sensum habet; Religio decet omnem ætatem: Ità & hæc, Nusquam non est virtuti locus, infinita est, licèt universalis speciem præ se ferat. Nec hîc tam propositiones, quàm illarum partes æquipollent.

Quinta regula.

5 Utraque universalis negatione pariter præpositâ & postpositâ subjecto, cum subalterna conspirat, id est, cum particulari: ut, Non omnis episcopus non est lucro deditus, id est, Quidam episcopus est lucro deditus. Nonnulli pisces non sunt surdi, id est, Aliqui pisces non sunt surdi.

Sexta regula.

6 Particularis affirmativa, præpoſitâ negatione, in contradictoriã tranſit: ut, Non poteſt quiſquam ſimul ſorbere & flare, id eſt, nullus: Non mortui te laudent Domine, id eſt, nulli. Alias propoſitiones, quas Valla particulares putat, ſingulares potiùs dixerim; ut, De grege non auſim quicquam deponere tecum, id eſt, nihil. Efficiam poſthac nè quenquam voce laceſſas, id eſt, nullum: in quarum partibus & dictionibus potiùs cernitur æquipollentia, quàm integris propoſitionibus. Valla ait idem pollere quoque, cùm ſubjecto poſtponitur negatio in particulari: ut, Aliquis beatus non eſt quiſquam: vel quiſpiam non eſt beatus. Verùm æſtimo particularem, poſtpoſitâ negatione, rarò aut nunquam fieri univerſalem, niſi cum fit comparatio: ut, Aliquis non eſt me fortunatior. Quiſquam non eſt te melior, id eſt, nullus. In neutro particulari poteſt negatio geminari. Abſurdè enim dixeris, Non quidam, vel, Non aliquis vir non legit: Abſurdius, Quidam non homo non pingit: Abſurdiſſimè, Non eſt non juſtus non Socrates: Rectè tamen dicimus, Non ſum non fortunatus, &, Non tu non es felix; non autem, Tu non non es felix. Non eſt ergò ſitus negationum negligendus. Adhæc in lingua latina duæ negationes, ſi in idem cadant, affirmant: ut, nonnihil ſcit, id eſt, aliquid: Græcè vehementiùs negant, οὐδὲν γινώσκει, id eſt, nihil ſcit prorſus. Negant etiam Latinè, quando in diverſa incumbunt: ut, Nullus eſt mihi neque pater neque mater, id eſt, deſunt mihi parentes. Deniq; multa ſunt linguæ propria: ut, Quid non vaſtavit? id eſt, omnia vaſtavit. Num ego te coëgi? id eſt, non coëgi te. Nonne prædixi ità futurum? id eſt, etiam prædixi ità futurum. Cave lædas, id eſt, cave nè lædas. Juvenéſque, ſenéſque, id eſt, omnes. Sed longum eſſet omnia proſequi. Cætera ab authoribus petenda ſunt. Nam conſuetudo optima eſt (ut ait Fabius) loquendi magiſtra.

De

De Æquipollentia.

CARTER.

Æquipollentia duplex: { Dictionum. / Propositionum.

Æquipollentia propositionum quid.

Æquipollentia propositionum est idem sensus duarum propositionum verbis differentium.

Hæc ad veritatem investigandam, &c.

Omnis propositio secundum significationem suam ejusdem est substantiæ, quantitatis & qualitatis cum ea cui æquipollet: ut, si propositio æquipollens sit categorica, particularis, affirmativa, vera, contingens, tum ea cui æquipollet erit categorica, particularis, affirmativa, vera & contingens, &c.

Versiculus.

Præ contradict. Post contra, præ póstque subalter:

Expositio.

Præ contradict id est, Si negatio præponatur toti propositioni, æquipollet suæ contradictoriæ.

Post contra, id est, si negatio postponatur subjecto, æquipollet maximæ ex parte suæ contrariæ. Præ póstque subalter. id est, si negatio præponatur & postponatur in utraque universali, æquipollet suæ subalternæ, id est, particulari affirmativæ, vel negativæ.

Voces æquipollentes.

Non omnis,	Id est,	Aliquis non.
Non nullus,		Aliquis.
Non aliquis,		Nullus.
Nulli non,		Omnes.
Omnes non,		Nulli.
Non omnis non		Aliquis.
Nonnullus non,		Aliquis non.

Signum: Universale negativum	est	Nullum.
Universale affirmativum		Omne.
Particulare negativum		Aliquod non.
Particulare affirmativum		Aliquod.

1 *Præposita negatio universali affirmativæ facit contradicentes æquipollere.*

Regula.

Contradicentes non æquipollent, nec contrariæ, neque subalternæ, ut sunt contradicentes, &c. sed quæ priùs erant contradicentes, contrariæ, & subalternæ, demptâ negatione vel negationibus.

2 *Quando negatio postponitur universali affirmativæ, æquivalet universali negativæ, ut, Omne vitium non est amplectendum, id est, nullum vitium est amplectendum.*

3 *Si negatio præponatur universali negativæ, æquipollet suæ contradictoriæ, id est, particulari affirmativæ.*

4 *Cùm negatio postponitur universali negativæ, æquipollet universali affirmativæ: ut, nemo non est animal, id est, omnis homo est animal.*

5 *Quando negatio præponitur & postponitur universali affirmativæ vel universali negativæ, æquipollet suæ subalternæ, id est, particulari affirmativæ, vel particulari negativæ, ut, Non omnis virtus non est mediocritas, id est, aliqua virtus est mediocritas, &c.*

6 *Si negatio præponatur particulari affirmativæ, æquipollet universali negativæ: ut, Non aliquis homo est doctus, id est, nullus homo est doctus.*

In neutra particulari potest negatio præponi & postponi, tum propter veritatem propositionum, tum maximè propter phrasin loquendi.

De conversione.

SETON. IAm ad conversionem convertendus est sermo. Conversio propositionis est apta extremorum commutatio. Ejus duo sunt genera, simplex & attenuata.

Simplex conversio dicitur, ubi transpositis terminis, eadem remanet quantitas.

Ità

Ità vertitur universalis negativa, & particularis affirmativa: ut, Nulla virtus est invidia: nulla invidia est virtus. Aliqua intemperantia est vitium: Aliquod vitium est intemperantia.

Attenuata autem conversio est, quando commutatis partibus minuitur quantitas. Nam mutatis signis, ex universali colligitur particularis: ut, Omnis æquitas est virtus: aliqua virtus est æquitas.

Hæc species vertendi peculiaris est universali affirmativæ.

Præterea, in convertendis propositionibus semper eadem qualitas debet remanere.

E, I, simpliciter vertendo signa manebunt.

Ast, A, cùm vertas, signa minora cape.

COnversionis apud authores non admodum frequens est usus, verùm apud quæstionistas, qui nihil non evertunt, nihil frequentius.

Conversio est apta mutatio extremorum: apta est quando juxta sequentes canones fit. Duæ sunt species eius, Simplex & attenuata: æqualem & inæqualem appellare possimus. Simplex est, quando mutatis partibus, quantitas servatur: ità vertitur particularis affirmativa, & universalis negativa, ut, Intemperantia est vitium, ergò aliquod vitium est intemperantia. Nulla invidia est virtus, ergò nulla virtus est invidia. Æquale ex æquali colligitur, & remanet eadem quantitas. Conversio autem attenuata est, ubi transpositis terminis diminuitur quantitas, universali signo in particulare converso: ut, Omnis æquitas est virtus, ergò aliqua virtus est æquitas, non hîc ex æquali æquale, sed ex universali colligitur particularis. Ad hunc modum

poteſt utraque univerſalis converti. Sed quoniam univerſalis negativa ſimpliciter convertitur, hoc eſt, vi negationis ex univerſali univerſalem colligit (ut, Nullus homo eſt quadrupes, ergò nulla quadrupes eſt homo) ideo magis peculiaris eſt hæc ſpecies univerſali affirmativæ. Neceſſariò enim ſequitur particularitas ubi univerſalitas colligitur. Alii per accidens converti dicunt, ubi quantitas attenuatur. Solent quidam ad excitanda, ut opinor, puerorum ingenia, quaſdam propoſitiones excogitare & eis proponere; quales ſunt, Nulla veſtis facit Monachum, Nullus homo eſt fœmina: Nullus puer fuit epiſcopus, Quas ſic ſolent vertere, Nihil faciens monachum eſt veſtis, Nulla fœmina eſt homo maſculus, Nullus epiſcopus exiſtens epiſcopus, fuit puer. Particularis negativa non propriè convertitur, quòd generaliter non tenet ejus ſequela: nam non ſequitur, aliquod animal non eſt homo, ergò aliquis homo non eſt animal. Tertiam ſpeciem verſionis (quam vocant contrapoſitionem) prætereo, cujus apud eruditos nulla eſt mentio. A, univerſalem affirmativam: E, univerſalem negativam: I, particularem vel indefinitam affirmativam: O, particularem negativam denotat.

E, I, ſimpliciter vertendo ſigna manebunt.
Aſt, A, ſi vertas, ſigna minora cape.
O, quoties vertis vertito ſimpliciter.

Si converſa ſit vera: convertens quoque vera erit, non è contrario ſequitur. Logici priorem propoſitionem converſam, poſteriorem convertentem dicunt. Mala eſt converſio, ubi non ſervatur eadem qualitas; non enim debet affirmativa in negativam, aut vera in falſam, aut denique neceſſaria in contingentem converti; ſed affirmativa in affirmativam, negativa in negativam, vera in veram, & ità de cæteris.

De conversione. CARTER.

Conversio triplex: { Terminorum. / Relativorum. / Propositionum.

Conversio terminorum quid.

Conversio terminorum est quoties prædicatū & subjectum sunt voces convertibiles, idq; in casu nominandi convertuntur.

Termini convertibiles.

{ Proprium & species. / Definitio & definitum. / Descriptio & descriptum. / Differentia constitutiva & species. / Genus & membra dividentia simul sumpta.

Conversio relativorum quid.

Conversio relativorum est, quoties termini sunt convertibiles, sed in casibus obliquis convertuntur.

Conversio propositionum quid?

Conversio propositionum est apta extremorum commutatio. Apta extremorum commutatio est, quando fit conversio juxta regulas à Setono descriptas.

Conversio propositionum: { Simplex. / Attenuata. / Per contrapositionem.

Conversio per contrapositionem, est quoties termini finiti in terminos infinitos convertuntur, eâdem remanente quantitate & qualitate propositionum: Ad hunc modum convertuntur universalis affirmativa & particularis negativa: ut, Omne bonum est justum, ergò, Omne non justum est non bonum. Aliquod justum non est bonum, ergò, Aliquod non bonum non est non justum.

Conversio per contrapositionem non meretur nomen conversionis, quia eadem extrema non remanent, sed termini finiti convertuntur in terminos infinitos.

Regula attenuatæ conversionis.

Hæc species vertendi peculiaris est universali affirmativæ.

tivæ. Dicitur peculiaris, non quia utraque universalis non potest hoc modo converti, sed quia universalis negativa convertitur simpliciter, ideóque dicitur esse peculiaris universali affirmativæ.

Præterea in convertendis propositionibus, &c. Nulla est vera conversio propositionum, ubi eadem qualitas non servatur: nam si conversa propositio erit affirmativa, & convertens erit affirmativa.

Regula.

Prior propositio dicitur conversa, posterior convertens. Si conversa fuerit vera, convertens quoque erit vera.

Expositio versiculorum.

E,I, simpliciter vertendo signa manebunt.

Id est, universalis negativa, & particularis affirmativa simpliciter convertuntur.

Aſt, A, cùm vertas, signa minora cape.

Id est, universalis affirmativa attenuatè convertitur.

De Modalibus.

SETON. Dialectici vocant propositionem modalem, cùm hæc vocabula adduntur, necesse, impossibile, contingens, possibile: ut, Necesse est, quæ ortum habent, & finem habere. Impossibile est, omne metallum liquescere. Contingens vel possibile est, quasdam arbores esse infrugiferas. Necesse, signi universalis affirmativi: impossibile, universalis negativi: contingens vel possibile, particularis affirmativi: contingens non, particularis negativi vim obtinet. Addunt alii plures modos, sed possunt omnes facilè sub his quatuor comprehendi.

Reperitur geminus sensus in modalibus, di-

visus

visus & compositus, ut, Possibile est sedentem ambulare: hæc in sensu diviso vera est: in sensu composito falsa. Similiter per omnia opponuntur, æquipollent, & convertuntur, ut puræ: nisi quòd plerunque in conversione, modi ipsi manent iidem. Verùm quòd modalium natura facilè ex his prædictis puris deprehendi potest, illas de industria leviter perstringo.

NOn desunt, qui propositiones dividunt in puras & in modales: puras vocant barbari de inesse, quòd prædicata subjectis insunt: modales, quibus modi apponuntur: Modi purarum naturam & sensum prorsus mutant. Modi sunt, necesse, impossibile, possibile, contingens; quibus cognoscitur modalium quantitas non aliter quàm ex signis deprehenditur quantitas purarum. Necesse, quasi signum universale affirmativum. Impossibile, universale negativum reputatur, ut in textu habetur. Addunt alii plures modos, utile, honestum, verum, certum, jucundum, facile, consuetum, &c. cum eorum oppositis, falsum, difficile, incertum, inutile, &c. quæ omnia ad prædictos quatuor possunt reduci.

In his duplex est quandoque sensus, divisus & compositus: ut, Possibile est tacentem loqui: hæc propositio in sensu diviso vera est, duo tempora denotans, nempe significat eum qui jam tacet posse aliàs loqui: falsa verò est in composito sensu, unum tantùm importans tempus, significátque, tacentem dum tacet, posse loqui, & ità in reliquis. Natura autem modalium facilè ex prædictis puris deprehenditur. Similiter enim per omnia opponuntur, æquipollent, convertuntúrque, nisi quòd plerunque modi ipsi manent iidem in conversione: ut, Necesse est omnem

nem patientiam esse virtutem: ergò, aliquam virtutem esse patientiam est necesse. Contingens est aliquem medicum esse divitem, ergò, aliquem divitem esse medicum contingit. Impossibile est omne animal esse hominem, ergò aliquem hominem esse animal est possibile. Ubi advertendum est, impossibile commutari in possibile. Æstimanda est modalium quantitas ex modis, ut dixi: nam potest particularis dici, quoad dictum, ut vocant, hoc est, quoad subjectum, quæ juxta modum, est universalis: ut necesse est aliquam stellam minorem esse sole. Contrà, quæ juxta modum particularis est, secundum subjectum sæpe est universalis: ut, Possibile est omnem mulierẽ linguam refrænare. Verùm has ego, quarum admodum rarus est apud authores usus, ficco pede prætereo, etiam si minimè nesciam, quot hinc subtilitates inter sophistas oriantur, & argumentationum griphi inexplicabiles.

De Modalibus Propositionibus.

CARTER. *Modalis propositio est categorica impura, in qua necesse, contingens, possibile, vel impossibile ponitur: ut, Necesse est hominem esse animal.*

Regula.

1 *Quantitas & qualitas modalium propositionum dependet ex signis, ut si Necesse præponatur toti propositioni, erit universalis affirmativa, &c.*

2 *Eadem est vis copulæ in categoricis propositionibus puris, quæ est modi in modalibus: nimirum, quemadmodum dicitur categorica propositio affirmativa vel negativa, quando verbum affirmatur vel negatur; sic dicitur propositio modalis affirmativa vel negativa, quando modus affirmatur vel negatur: alioquin sequeretur contradicentes propositiones simul esse veras, ut docet Aristot.*

Negatio præponenda est modo, non verbo, in modalibus propositionibus.

Sensus

Sensus modalium duplex: { Divisus, Compositus.

Sensus divisus importat duo tempora: compositus, unum tantùm tempus.

Modales propositiones opponuntur, æquipollent, & convertuntur, ut categoricæ putæ opponuntur, &c. ut necesse & impossibile contrario modo: necesse & contingens non contradict. modo, &c.

In conversione modalium propositionum modi ipsi manent iidem, nisi quando impossibile convertitur, propositio enim convertens erit possibile: ut, Contingit hominem esse doctum: propositio convertens est, Doctum esse hominem est contingens, &c. Impossibile est omnem plantam esse Fraxinum: propositio convertens, Aliquam Fraxinum esse plantam, est possibile.

Objectio.

Impossibile est esse, est affirmatio, ut inquit Aristoteles: ergò, Impossibile, non obtinet vim negationis.

Respons.

Impossibile est esse, est affirmatio secundum modum & secundum verbum: nam negatio privans non est negatio revera, sed affirmatio: tamen impossibile admittitur pro negatione à dialecticis, non quòd verum sit, sed tantùm docendi gratiâ, Faber.

Contingens triplex: { Necessarium. Non necessarium. Possibile.

Necessarium: { 1 Quod aliter non potest se habere. 2 Quod vim infert. 3 Sine quo non potest diu existere. 4 Sine quo non potest bene esse.

Possibile duplex: { Actu. Potentiâ.

Impossibile duplex: { Simpliciter. Secundum quid.

Divisio

Joannis Setoni

Divisio partium modalis propositionis.

Partes modalis duæ.

Modus, } Necesse, possibile, &c.
Dictum, } Omne id quod est in modali propositione, præter modum.

De æquipollentia modalium propositionum.



Exposi-

Expositio.

A. Omnino affirmativam
E. Negativam de dicto
I. Negativam de modo
V. Totam negativam, & secundum modum, & secundum dictum

} Significat.

De prædicatione.

PRædicatio est vera prædicabilis de suo subjicibili affirmatio. SYNON.

Duplex est prædicatio: { Essentialis, Accidentalis.

Prædicatio essentialis, est prædicatio, cujus alterum extremorum est de essentia alterius, ut Vitis est arbor.

Accidentalis est prædicatio, cujus neutrum extremum ad alterius essentiam attinet, ut Nero est tyrannus.

Propria prædicatio est recta, ubi superius de suo inferiori (recto loquendi ordine servato) enuntiatur: ut Sol est astrum.

Impropria verò est innaturalis, ubi inferius de superiori suo, aut æquale de æquali enuntiatur. Hæc ad usum dialecticorum parum attinet, qui tantùm quæ propria sunt, recipiunt.

NUnc prædicationem (ut vocant) leviter oportet perstringere. Quidam duplicem constituunt, unam quinque prædicabilibus, alteram quatuor prædicatis propriam, de qua vide Aristotelem in topicis. Nos hîc priorem tantùm attingimus, quæ ex Isagoge Porphyrii colligitur, quæq; nihil est aliud, quàm veræ

&

& affirmativæ propositionis ſpecies, ut ex ejus finitione conſtat. Eſt enim vera affirmatio univerſalis de ſubjicibili ſuo: ut Terentius eſt comicus. Hanc in eſſentialem & accidentalem dividunt. Eſſentialis eſt ubi genus aut differentia de ſpecie, ſive individuo, vel ſpecies de individuo, enuntiatur. ut, Clementia eſt virtus: Animal eſt ſenſibile: Bucephalus eſt equus. Accidentalis verò eſt, ubi proprium aut accidens de ſubjicibili enuntiatur: ut, Vulpes eſt gannibilis: Tigris eſt velox. Propria eſt prædicatio, ubi de ſuo inferiori ſuperius, aut de abſoluto concretum infertur: ut, Camelus eſt animal: Nix eſt alba: Mare eſt vaſtum: hæc, quòd naturam ſequitur, meritò naturalis, & recta appellatur. Adverte quod diximus in contextu, propriam eſſe prædicationem, quoties ſuperius de inferiori infertur, ſic eſſe intelligendum, ſcilicet ſuperius ad ſignificationem, vel ad prædicationem: ut, animal eſt hinnibile, propria eſt, quia hinnibile, licet ſignificatione ſit animali inferius, tamen quoad prædicationem ſuperius eſt, quia propriè de animali enuntiatur. Animal autem de eo improprie, id eſt, contra loquendi rectum ordinem. Impropria dicitur ubi inferius de ſuperiori, aut æquum de æquo, aut abſolutum de concreto infertur, ut metallum eſt aurum, animal eſt animal, vaſtus eſt mons: hæc, quia ordinem naturæ invertit, meritò à logicis rejicitur. Denique tres ſunt prædicationis interrogationes, quæ, qualis, & cujus; quibus, ſicuti propoſitionis natura exigit, reſpondemus: Ut percontanti, quæ, qualis, & cujus ſit hæc prædicatio, Fortitudo eſt virtus: reſpondemus, eſſentialem, propriam, & generis de ſpecie, & ità de reliquis.

CARTER. *De Prædicatione.*

Prædicatio duplex: { Prædicati. / Prædicabilis.

Regula.

Regulæ.

1 *Omnis propositio ducitur ab aliquo quatuor prædicatorum, id est, vel à definitione, genere, proprio, vel ab accidente. Quod quidem verum est, si ordinatè, si propriè, & affirmativè ducatur: alioquin omnis quæstio non ducitur ab aliquo prædicatorum.*

2 *Propositiones negativæ non ducuntur à prædicatis.*

3 *Omnia referuntur ad prædicatum definitionis refellendo, non confirmando. Nam quæ loca refellunt genus, proprium, & accidens, eadem ipsa definitionem refellunt.*

Prædicatio quid?

Prædicatio est vera affirmatio alicuius prædicabilis de aliquo subjecto.

Prædicatio est duplex: { Essentialis. / Accidentalis.

Essentialis prædicatio est, quando genus prædicatur de specie, species de individuo, differentia de specie.

Accidentalis prædicatio est, quando prædicatum est vel proprium, vel accidens.

Prædicatio propria quid.

Propria prædicatio est, quando superius vel significatione, vel prædicatione, prædicatur de suo inferiore: ut proprium superius est genere, prædicatione; licèt significatione sit inferius.

Æqualis prædicatio duplex: { Significatione. / Voce.

Æqualis prædicatio voce, impropria est: ut, Homo est homo.

Æqualis prædicatio significatione est propria: ut, Homo est risibilis.

Tres sunt interrogationes propositionis: { Quæ? / Qualis? / Cujus?

Quæ, quærit utrùm propositio sit essentialis, vel accidentalis: Qualis, utrùm sit propria, vel impropria: Cujus, quærit utrùm sit generis de specie, speciei de individuo, &c.

Si sit impropria prædicatio, neque est accidentalis, neque essentialis. Nam hæc postrema divisio prædicationis, nominis divisio est, non rei.

De Definitione.

SETON. HIc attexendæ sunt definitio & divisio: quibus ob affinitatem, descriptionem & partitionem adjungam.

Definitio igitur est, quâ, quid sit res, explicatur, ut, Homo est animal rationale.

Constat propriè ex duabus partibus, genere, & differentia.

Genus semper in eodem reperitur prædicamento cum definito. Quòd si differentiæ inveniri nequeant, earum vices proprium aut accidens supplebunt. Unde nonnihil ad definiendum conducit prædicabilium & prædicamentorum cognitio.

Obtinendum est, ut definitio cum definito convertatur, & idem prorsus sonet; ut aperta sit; & ut quid sit res, explicet.

Germana & essentialis dicitur definitio, quando vera exprimitur differentia: Reliquæ rectiùs descriptiones vocantur. Nam etymologia, interpretatio, notatio, periphrasis, & hujusmodi non merentur definitionis nomen, licèt eam magna ex parte referant.

Descriptio rem appositè explicat: unde non abs re accidentalis definitio à quibusdam solet appellari.

DE-

DEfinitio & diviſio, addito verbo, propoſitiones fiunt, quo fit ut in hoc libro explicentur. Verũ quò meliùs intelligatur definitio, finienda prius venit etymologia, quam quidam nominis definitionẽ dicunt. Etymologia eſt vera verbi ratio: ut, Sapientiæ amator, pro philoſopho. quod vivũ parit, pro viviparo. Etymologiæ ſimiles ſunt: interpretatio, metaphora, expoſitio, proportionalis explicatio, periphraſis, notatio, & hujus generis aliæ, quæ apud alios reperiuntur, quæ omnia Rodolphus ſub Nomine rei comprehendit. Nam non ſunt definitiones, licèt ità apud rhetores non rarò dicantur. Interpretatio eſt dilucida aliqua nominis expoſitio: ut, celeriter comedere, pro tuburcinari. Metaphorica expoſitio eſt, ubi vox à genuina ſignificatione ad non propriam transfertur: ut, Ver eſt anni pueritia, Senectus eſt vitæ occaſus. Proportionalis, ſeu ſimilitudinaria expoſitio fit ex mutua duorum analogia: ut, Scientia eſt in anima, quod oculus in corpore: vel, mens in homine, quod Deus in mundo. Periphraſis eſt qualiſcunque nominis circumlocutio, ut cùm eum, ante quem portantur faſces, dicimus pro Conſule. Notatio aliquem peculiari nomine exprimit: ut ſi dicas illum, qui ſe cubito emungit, pro ſalſamentario: qua de re conſule Eraſmum in copia ſua. Etymologiâ utimur cùm in ipſa voce eſt controverſia. Primò enim excutienda eſt verbi vis, nè ſermonis vitio obſcuretur diſputatio: unde in initio conſtituendum, & velut paciſcendum, qua ſignificatione vocis velimus uti: nè de alliis rogati, de cæpis reſpondeamus, ut eſt in proverbio. Nec ſolùm præſtare debet dialecticus, ut diatriba vocibus æquivocis, & ambiguis careat, ſed etiam nè verborum obſcuritas ullo modo concertantes diſturbet. Ad quam rem conducunt inprimis cognitio phraſis & linguarum peritia. Deinde, ut de nomine ſemel conveniat, ſtatim (ſi opus ſit) adhibenda eſt rei definitio.

Volunt enim tum Plato, tum Cicero, ut omnis dissertatio à definitione sumat exordium, ut intelligatur quid sit de quo disputatur. Definitio igitur est, qua, quid sit res, explicatur: ut, Homo est animal rationale: Animal est vivens sensibile. Tales definitiones germanas & essentiales vocant. Nec aliud videtur, Definire, quàm rem intra fines naturæ suæ conclusam explicare. Utilissimum ergò est, ut quicunque definire vellet aliquid, priùs universam rei naturam & rationem interiùs & exteriùs lustratam habeat. Ad hanc rem nonnihil conducit exacta in primis prædicabilium, & prædicamentorum cognitio. Nempe cum omnis finitio propriè ex genere & differentia conficiatur, primò omnium scire expedit, in quo prædicamento res illa reponatur, quæ definienda venit, quam speciem vel definitum vocamus: quo semel deprehenso, non erit difficile in eodem reperire genus definiti: reperto tandem genere, descendere oportet quasi per divisionem & ad ejus differentias utrinque (ut patet in superiore libro) collocatas: quarum altera cum genere adjuncta, definiti naturam explicabit. Ut si hominem definire velles, facile liquebit hominem sub substantia contineri: sub eadem ergò erit & hominis genus, id animal est: animalis autem differentiæ sunt rationalis & irrationalis: harum altera, nempe ea quæ cum definito convenit, cum genere hominem complet, & definit: ut, Homo est animal rationale. Jam perfecta est & germana definitio, cùm ex genere & differentia constet. Quòd si quando veræ differentiæ inveniri nequeant, earum in definiendo vices supplebunt proprium aut accidens: ut, Asinus est animal solidis pedibus, auritum, fœcundum. Sunt autem in summa, secundum Agricolam tres rectè definiendi leges: Prima, ut definitio neque plura neque pauciora quàm definitum complectatur, sed de quocunque unum dicitur, dicatur & alterum: ut, Quicquid est homo, est animal rationale, &

contrà,

contrà, quicquid est animal rationale, est homo: Altera, ut quid sit res, hoc est, substantiam ejus explicet; (Habent enim & accidentia suam essentiam, id est, substantiam:) Tertia, ut aperta sit, hoc est, neque ambiguis nominibus, neque obscuris, aut ex longinquo deductis constet: Adhibetur enim, ut ait Aristoteles sexto Topicorum, cognoscendi gratia. Profuerit plurimùm ad hanc rem, notas res atque explicatu faciles definire; quod si diligenter & cum ratione fiat, paulatim & difficilium spes erit. Juvabit etiam crebras aliorum definitiones solvere, & rationem singulorum verborum exigere, judiciúmque parare, & usu tractandæ rei viam nobis patefacere: ut, Jus est decretum majoris potestatis, ad tuendum civitatis statum, ex æquo & bono institutum. Civitas est multitudo collecta, ad statum rerum suarum tuendum per se sufficiens, quæ consensu sit legum vitæque conjuncta. Has definitiones ad unguem explicat Rodolphus, ego compendii causâ relinquo: poterunt, qui volunt, ab eo petere. Descriptio est (ut idem Rodolphus author est) quæ rem verbosiùs exprimit: nec in hoc adhibetur, ut quid sit res, indicet; sed ut qualis sit, vel ut ob oculos inspiciendum ponat. Hæc crebrò poëtis, nonnunquam oratoribus in usu est: ut, elegantèr apud Virgilium describitur Fama: Fama malum, quo non aliud velocius ullum, &c. Et apud Ovidium, Solis regia: Regia Solis erat sublimibus alta columnis: Clara micante auro flammáque imitante pyropo. Altera est descriptio, quam quidam accidentalem definitionem dicunt, propterea quòd differentiam per proprium & accidens colligit. Hæc appositè, hoc est, conversim (ut loquuntur) rem explicat: Itaque non abs re sub definitione contineri solet.

De definitione.

CARTER.

Definitio est oratio, additâ copulâ, quæ definiti substantiam explicat.

Joannis Setoni

Regula.

Nulla definitio per se est oratio: sed dicitur oratio vi verbi, quod definitionem cum definito conjungit.

Definitio duplex est.

Rei. { Vera est & perfecta.
Nominis. { Tantùm nominis interpretatio est.

Quomodo definitio & descriptio conveniunt, & quomodo discrepant.

Definitio & descriptio præcipuè in hoc conveniunt, quòd quemadmodum definitio convertitur cum definito, sic descriptio cum descripto: Differunt, quòd definitio explicat substantiam rei, descriptio qualitatem rei.

Convenientiæ & discrepantiæ inter divisionem & partitionem.

Divisio & partitio conveniunt, quòd tam divisione quàm partitione unum ducitur in multa. Differunt præcipuè in hoc, quòd divisum de suis speciebus verè enuntiatur: totum integrale, de suis partibus minimè.

Definitionis duæ sunt partes.

Genus, Differentia. } est { Prima pars definitionis. Posterior pars.

Genus est in eodem prædicamento cum specie.

Objectio.

Scientia est in relatione, grammatica in qualitate: ergò, Genus & species non semper sunt in eodem prædicamento.

Respons.

Scientia, quatenus refertur ad scibile, est in relatione, quatenus ad grammaticam, est in qualitate.

De legibus definitionis.

Tres definiendi leges: { Ut definitio & definitum convertantur. Ut explicet substantiam rei. Ut brevis sit & aperta.

Etymologia, interpretatio, &c. possunt referri vel ad nomen rei, vel ad definitionem. Ad definitionem, quatenus

vocem

vocem cujus est etymologia consideramus, &c. Ad nomen rei, quatenus subjectum consideramus.

Etymologia est vera verbi ratio: ut, ex humo factum, pro homine.

Interpretatio est dilucida nominis expositio: ut, Saxo frangere, pro molere.

Metaphora est translatio rerum verborúmque à genuina significatione ad non propriam: ut ætas, pro virili ætate.

Notatio est explicatio alicujus rei peculiari nomine, ut, qui se cubito emungit, pro sallamentario.

Periphrasis est circumlocutio nominis: ut, pro præceptore, dicimus eum qui castigat pueros.

Divisio descriptionis.

Descriptio duplex: { Poëtica. / Dialectica.

In Poëtica descriptione maxima ex parte omittitur genus, è contrà fit in dialectica descriptione.

Descriptio rem appositè explicat, id est, convertitur cum descripto.

De divisione.

SETON.

POstquam quid sit unumquodque cognoscimus, proximum videtur, ut quotuplex sit, intelligamus. Divisionis ergò locus (cujus est insignis utilitas) nos admonet, ut quid ipsa sit, paucis exequamur.

Divisio est communioris in sua inferiora accommoda diductio.

Trifariam potest unum in multa diduci, divisione, partitione, & enumeratione: de quibus ordine dicam.

Quinque sunt divisionis species.

Prima, quæ & perfectissima, est generis in

ſpecies: ut, Animal partim homo, partim brutum eſt.

Proxima, eſt generis in ſuas differentias: ut, Subſtantiarum hæc corporea, illa incorporea.

Tertia, ſubjecti in accidentia: ut, Animalium, aliud ſanum, aliud ægrum.

Quarta accidentis in ſubjecta: ut, Feritas alia leonis, alia tigridis, alia cæterarum belluarum, &c.

Quinta denique accidentis in accidentia: ut, Alborum quædam dulcia, quædam amara, quædam medium ſaporem tenent, &c.

Aliud, partim, hoc & illud, & reliquæ ſectionis notæ plerunque apud authores deſignant diviſionem.

Bona eſt diviſio, cùm omnia ejus membra pariter diviſum æquant, & cùm diviſum non cum aliqua parte, ſed cum omnibus ſimul captis convertitur. Obtinendum nè quid in hac deſit, aut ſuperſit: ut de definitione dictum eſt. Poſtremò, debet utraque brevis eſſe, & aperta, utpote quæ manifeſtationis gratiâ adhibentur.

Partitio eſt totius in partes diſcretio: ut, cùm civitatem in ædes, plateas, portas, mœnia, foſſas, partiamur. Sit (inquit Fabius) diviſio, rerum plurium in ſingulas; partitio ſingularum in partes diſcretus ordo.

Omnis diviſio finita eſt, & certa habet membra

bra: Partitio verò nonnunquam manca fit, & ex incertis, nè dicam infinitis partibus conſtans.

Diviſum de ſuis partibus verè enuntiatur: Non autem partitio. Qui ergò hæc non diſtinguit, artem deſtruit.

Enumeratio eſt, quoties multa, quæ uni alicui inſunt recenſemus: ut, Cicero eloquens orator fuit, prudens ſenator, & gravis philoſophus.

PRoxima eſt diviſio, cujus pernecceſſaria eſt utilitas tum ad rei quæ dividitur naturam demonſtrandam, tum ad definiendum: quando definire nihil aliud eſt, quàm ex genere per differentias diviſo, in ſpeciem deſcenere. Juvat verò potiſſimum dividendi ſcientia, ad diſſerendi orationiſque copiam parandam. Ejuſdem namq; artificii eſt, unum aliquod, quod multa ambitu ſuo complectitur, in partes ſpargere, & multa in unum colligere, ac quaſi in anguſtũ agere. Verùm trifariam poteſt unum in multa diduci; diviſione, partitione, & enumeratione. Diviſio eſt communioris in ſua inferiora accomoda diductio: accommodam cenſeo, quando in omnes ſuas partes, & eas quidẽ certas fit ſectio. Quinque ſunt ſpecies diviſionis. Prima, quæ & perfectiſſima, eſt generis in ſuas ſpecies: ut Animal partim homo, partim brutum eſt: vel, colorum, alius albus, alius niger, alius medius. Hîc diviſum genus eſt, ſcilicet animal: ejus autem membra dividentia, homo & brutũ, ſpecies ſunt animalis. Sic album & nigrum reſpectu coloris ſpecies ſunt, licet aliàs ad ſubſtantiam collatæ, ſint accidentia.

Proxima eſt generis in differentias ſuas, ut, ſubſtantiarum, hæc corporea, illa incorporea. Hîc extra diviſionem, membra ipſa ſunt diviſivæ differentiæ.

Tertia eſt ſubjecti in accidentia: ut, Animalium aliud ſanum, aliud ægrum. Sanum & ægrum accidentia ſunt, animal verò ſubjectum, vel ſuſceptibile dicitur horum accidentium.

Quarta

Quarta est accidentis in subjecta, ut astutia alia humana, alia lupina, &c. Hîc è regione accidens in substantiam dirimitur. Nam astutia accidens est hominis, lupi, & vulpeculæ, &c.

Quinta denique accidentis in accidentia est sectio, ut febrium hæc acuta, illa lenta. Hîc tum divisum, tum membra sunt accidentia. Agricola censet omnem divisionem esse generis in species, quod quidem negari non potest, cùm divisum ad membra divisionis refertur. Nos tamen docendi gratiâ, simpliciter & citra mutuam inter se collationem ista tradidimus. Citiùs me assequuntur pueri, cùm dico genus nunc in species, nunc in differentias, & accidentia dividi. quàm si solùm dixero in species dividi posse. Boëthius, Faber, Melanchthon, & non pauci alii putant nomen Polysemon admittere divisionem: ut, Canum alius domesticus, alius marinus, alius cœlestis At Rodolphus (cui ego assentior) negat id posse fieri. Sectionis notæ sunt, hoc, aliud, partim, cùm geminantur: & apud Græcos, μὲν, & δὲ: quæ crebrò apud authores designant divisionem, sed non semper.

Bona est divisio, cùm omnia membra pariter æquant divisum (ut prædictis divisionibus liquet) & non cum una aliqua parte seorsum, sed cum omnibus simul captis convertitur. Intelligimus divisum in ipsis membris, cùm opus fuerit: verùm ampliſſimus rixandi campus habetur, quando subjectum, aut accidens in accidentia secatur. Nam in hujusmodi imperfectioribus divisionibus, videntur membra esse latiora quàm divisum. ut, si dicam, Homo alius albus, alius niger, alius medio colore. Si dixeris hîc divsum addendum esse partibus, statim clamitabunt sophistæ, mutatam esse faciem divisionis, cùm homo albus non sit accidens. Hîc ergò idem respondendum puto, quod in elegantiis Valla: nimirum posse aliquando aliquid intelligi, quod non licet exprimere. Nam in hoc Salustiano, Periit fame, morte

morte omnium peſſimâ; ſubauditur, mortium, quæ vox exprimi non debet. Et ità apud Ciceronem; Putabam te interrogaſſe Pompëi, unúmne eſſet cœlum, an innumerabilia: Intelligimus cœla, quod verbum abſurdum videbitur, ſi eloquaris. Obtinendum eſt nè quid in diviſione ſuperſit, nè quid deſit: ut de definitione dictum jam eſt. Poſtremò debet utraq; brevis & aperta eſſe. Nam turpe eſt (ut ait Quintilianus) id obſcurum eſſe, quod in eum ſolùm uſum adhibetur, nè ſint cætera obſcura.

Partitio eſt totius in partes diſcretio. Cicero propriè ſcripſit partitionem vocari, cùm totum quaſi in membra non in ſpecies diſcerpitur, ut ſi corpus partiaris in caput, thoracem, ventrem, manus, pedes: aut domum in fundamentum, parietes, & tecta. Sit (inquit Fabius,) Diviſio rerum plurium in ſingulas, Partitio verò ſingularum in partes diſcretus ordo, & recta quædam collatio prioribus ſequentia connectens. Idem Latinè ſonant Diviſio & Partitio. At qui hæc non diſtinguit, artem diſtruit, ut ait ille. Omnis diviſio finita eſt, & certa habet membra, Partitio fit nonnunquã manca, & ex incertis, nè dicam infinitis partibus conſtans: quò fit ut credam ſpeciem in individua non dividi propriè, ſed partiri potiùs; quanquam rhetores non admodum inter hæc diſtinguere ſolent.

Enumeratio eſt, quoties multa quæ uni alicui inſunt, recenſemus: ut cùm dico, Cicero fuit eloquens orator, prudens ſenator, & gravis philoſophus. Hæc inter dialecticos rariſſimè habet locum. Certè tum Definitio, tum Diviſio ex omnibus penè locis ducuntur.

Locorum tractatio, ut ordo poſtulat, in alium locum dilatus, quartum librum conſtituet.

De Diviſione.

Poſtquam quid ſit unumquodque cognoſcimus, &c. Exordium ſumendum eſt à definitione, ſi res propoſita obſcura tantùm ſit: ſin verò obſcura & multiplex, à diviſione. CARTER

Ad

Joannis Setoni

Ad quot utilis est dividendi ratio.

Ratio dividendi utilis ad tria; ad
- Cognoscendum divisum.
- Aptè definiendum.
- Differendi copiam.

Divisio quid.

Divisio est communioris &c. id est, omnis divisio est generis in species, per differentias divisivas.

Divisio duplex.

Nominis, Rei, ut
- Hominum alii sunt viventes, alii mortui.
- Animalium, aliud homo, aliud brutum.

Regula.

A divisione rei argumentum sumitur affirmativè & negative: A divisione verò nominis non sumitur, quia alterum membrum est terminus diminuens.

Unum diducitur in multa tribus modis
- Divisione.
- Partitione.
- Enumeratione.

Quinque divisionis species.
- Generis in species.
- Generis in differentias.
- Subjecti in accidentia.
- Accidentis in subjecta.
- Accidentis in accidentia.

Regulæ.

1 *Si divisum intelligatur in suis membris dividentibus, tum omnis divisio est generis in species. Sin autem considerantur absque ulla collatione, tum sunt divisionis species.*

2 *Quando dividitur æquivocum æquivocans in æquivoca æquivocata, (ut, Canum alius domesticus, alius marinus, alius cœlestis) est enumeratio tantùm.*

3 *Quando ima species dividitur in sua individua, partim est partitio, partim divisio: partitio, quatenus non est aliquis certus numerus individuorum alicujus speciei: divisio, quatenus species verè prædicatur de suis individuis.*

De

De legibus divisionis.

Tres leges divisionis.
- Ut divisum cum omnibus membris dividentibus convertatur, & non cum uno aliquo.
- Nihil debet esse superfluum, aut parum explicatum in definitione.
- Ut brevis sit & aperta.

Discrepantiæ inter divisionem & partitionem.

1 *Divisio est generis in species: partitio est totius in partes.*

2 *Divisionis certæ sunt species: partitionis sunt infinitæ partes nobis, licet naturâ sunt finitæ.*

3 *Divisum prædicatur de suis membris dividentibus: totum integrale non prædicatur de suis partibus: ut, virtus de morali virtute, & de intellectiva; corpus (quod est totum integrale) non prædicatur de capite, brachio, &c.*

Objectio.

Totum similare prædicatur de suis partibus: ut, unaquæque pars aquæ est aqua.

Respons.

Nomen totius similaris prædicatur de parte: ipsum tamen totum non prædicatur: neque aqua prædicatur, ut genus, de parte aquæ.

Enumeratio est quoties multa uni alicui attribuuntur: ut, Hector vir fortis in bello, consilio pollens, & Græcorum principum eversor.

Definitio per locos generales ducta. SETON.

HOmo est animal rationale. *A differentia.*

Leo quadrupes est rugibilis. *A proprio.*

Homo est, qui capite, humeris, pectore, ventre, manibus, pedibúsque constat. *A partibus.*

Terra est pars mundi infima. *A toto.*

Prudens est vir prudentiâ præditus. *A cõjugatis*

Sturnus avis est nigra, albis distincta maculis. *Ab adjacentibus.*

Tyrannus

Ab actibus. Tyrannus est, qui unus rerum potitur, & jus ex arbitrio suo dicit.

A subjecto. Timiditas est impotentia, cervo, damæ, lepori, paucísque aliis naturalis.

A materia. Cervisia, est potus ex aqua, hordeo, lupulóque factus.

A forma. Triangulus, est figura habens tres angulos duobus rectis æquales.

Ab efficiēte. Statua, est imago sculptoris manu effecta.

A fine. Rhetorica, est bene dicendi scientia.

Ab effectis. Ædificator est, qui domus, templa, ædificia potest erigere.

A destinatis. Homo est animal, cujus usui cætera omnia sunt animalia.

A loco. Triarii, sunt milites in postrema acie collocati.

A tempore. Amygdalus arbor est, quæ primò omnium floret.

A connexis. Uxor est fœmina viro maritata.

Ab antecedentibus. Cædes est mors violenta, jurgium, odium, invidiam, contumeliam, injuriam plerumque sequens.

Ab adjunctis. Meretrix est, quæ cultui corporis voluptatíque studet.

A consequentibus. Furere est, non cognoscere homines, non leges, non senatum, non civitates, & corpus suum cruentare.

A pronuntiatis. Justitia est virtus, quæ ex sententia Ciceronis, unicuique sua tribuit.

Lynx

Lynx avis est columbâ minor, pedibus utrinque in binos digitos scissis. *A comparatis.*

Paterfamilias est, qui ità præest familiæ, ut præceptor discipulis. *A similitudine.*

Virtus est vitium fugere. *A contrariis.*

Oblivio est scientiæ amissio. *A privativis.*

Pater est qui liberos habet. *A relativis.*

Est virtus placidis abstinuisse bonis. *A dissentaneis.*

POtest quandoque definitio ex duobus aut pluribus locis duci, sed nomen ex eo habet, qui est manifestior. Hæc ex quatuor diversis locis est petita. Bubo avis est nocturna, à boum mugitu dicta, uncunguis, carnivora, aquilam magnitudine referens. Nonnulli fortassis quasdam ex his, descriptiones libentiùs quàm definitiones vocarent. Verùm Agricola, quem in his rebus libentiùs imitabor, tales appellat definitiones: non tam fortasse quòd rei essentiam, quàm rem ipsam conversim explicant. Apud quem (quantum ad inventionem attinet) definitio & discriprio unum eundémque locum constituunt, nisi poëtarum descriptionem intelligas, cum qua nihil est nobis commercii. Definiendi munus magni & excellentis viri est, qui non solùm universam definiendæ rei naturam, sed & alia plurima, quæ eam circumstant, percipit. Neque quicquam aliud æquè acrem à tardo, doctum ab indocto distinguit, atque definiendi peritia: quò magis convenit, ut crebrò definitionibus tenelli animi exerceantur. Superest modò, ut divisio etiam per locos ducatur: atque hîc Rodolphi, viri eruditissimi, exempla adducam, quem nollem ullo pacto suâ fraudari laude.

Divisio

Joannis Setoni

Diviſio per Locos.

SETON. AC quoniam perfectæ differentiæ origo ex forma eſt, indè ordiamur.

A forma. Corporum, aliud animatum, aliud expers animæ.

A materia. Arborum, aliæ ex ſemine ſunt, aliæ ſponte naſcuntur.

A ſubjecto. Feritas, alia ſerpentis, alia avis, alia reliquarum belluarum eſt.

Ab adjacentibus. Animalium, aliud manſuetum, aliud ferum.

Ab actibus. Hominum, alius ſtudio, alius lucro, alius voluptati operam dat.

Ab efficientibus. Animalium, aliud parentis efficaciâ, aliud putrefactione gignitur.

Ab effectis. Animalia, quædam fœtum, quædam ovum, quædam vermem pariunt.

A fine. Rerum domeſticarum, aliæ ad neceſſitudinem, aliæ ad voluptatem, aliæ ad uſum pertinent.

A deſtinatis. Opum parandarum gratiâ, alii juſtam navant operam, alii fœnerantur, alii vi rapiunt, alii fraude ſubducunt.

A loco. Animalia hæc terrâ, illa verò mari degunt.

A tempore. Flores aut hyberni ſunt, aut verni, aut æſtivi, aut autumnales.

A connexis. Homines, partim ſervi ſunt, partim domini, partim neutrum.

A contingentibus. Muſicorum, quidam literas ſciunt, quidam ignorant.

Quidam

Quidam homines laudati sunt, quidam vituperati, quidam silentio latent. *A pronuntiatis.*

Populares, quidam infra regem sunt opibus, quidam pares, quidam superiores sunt. *A comparatis.*

Aliorum vitæ propositum industriâ formicam imitatur, aliorum segnities similis est muscis. *A similitudine.*

NOmen rei, opposita, & dissentanea, prorsus aliena sunt à dividendi ratione. Præterea absurdum esset, ut una divisio ex duobus locis ducatur, quod in definitione non est rarum. Nunc restat, ut exerceant sese pueri multis, tum definitionum, tum divisionum exemplis. Nulla enim ars citra usum potest percipi: tantum abest, ut exactè definire, & rectè dividere quis possit, nisi prius ejus rei sibi usum fecerit. Ex his (definitione & divisione, dico) omnis ferè nascitur disputatio, & argumenta tanquam ex fonte derivantur. Atque hæc de categoricis dicta sufficiant.

Definitio ducta per locos generales.

OMnis definitio ducitur ab eo loco, à quo id quod supplet locum differentiæ ducitur. CARTE.

Nulla definitio ducitur à genere, quia nulla constat ex genere solum.

Dialectica est differendi ars.

Linea est longitudo latitudine & profunditate carens.

De Hypothetica propositione.

HYpothetica propositio est, quæ duas categoricas cum nota hypothetica in se complectitur: ut, Temperantia est virtus, & intemperantia est vitium. SETON.

Dividi potest (ut simplex) in veram & falsam: deinde in affirmativam & negativam.

Joannis Setoni

Quinque numerantur hypothetica ſpecies.

- Conditionalis.
- Copulativa.
- Disjunctiva.
- Cauſalis.
- Temporalis.

Conditionalis eſt, ubi geminæ categoricæ conditionali notâ junguntur.

Copulativa, ubi nota copulationis categoricas conjungit. Atque ità finiendæ ſunt reliquæ ſpecies.

Conditionalis vera eſt, ubi antecedens probat conſequens, aliàs falſa.

Copulativa eſt vera, cujus utraque pars eſt vera: ut, Juſtitia eſt virtus, & fraus eſt ſcelus.

Falſa, ſi altera pars ſit falſa: ut, Homo eſt rationalis, & homo eſt immortalis.

Disjunctiva è regione eſt vera, ſi altera pars ſit vera: ut, Terra minor eſt ſole, aut mentiuntur philoſophi.

Falſa, ubi utraque pars ſit falſa: ut, Argentum præſtat auro, vel literæ virtuti ſunt præponendæ.

Cauſalis ſimilis eſt conditionali: nam vera eſt tantùm, quando pars poſterior per priorem probatur: ut, Quia homo eſt capax rationis, eſt riſibilis.

Deniqu

Denique quod ad veritatem ſpectat, idem de temporali eſt ſentiendum. Hæ etenim ſunt veræ, Dum quis currit, movetur: Dum ſis probus, es amandus. Non autem hæ, Dum bibis, peccas: Dum ſcribis, ludis. Quoniam prior pars non probat ſecundam.

Nullam agnoſcunt hypotheticæ converſionem, nec oppoſitionem præter contradictionem, præpoſitâ negatione toti propoſitioni.

Copulativa univerſalitatem, disjunctiva particularitatem quandam præ ſe fert: quo fit, ut invicem contridicant, ubi partes ſunt oppoſitæ.

Bifariam ſumi poteſt interdum tum copulationis, tum disjunctionis nota: illa complexim aut ſigillatim, hæc disjunctivè aut copulatim.

Omittitur nonnunquam nodus venuſtatis gratiâ, qui tamen, licèt non exprimatur, intelligi debet.

TAndem ad hypotheticam enunciationem ventum eſt, quam multò compendioſiùs, quàm alteram abſolvemus. Nam de hypotheticis facilè judicabitis, qui categoricarũ naturam probè nôrit. Nam aliud non eſt hypothetica enuntiatio, quàm duæ conſutæ categoricæ. Dividitur hæc, ut ſimplex, in veram & falſam, iterum in affirmativam & negativam: quæ omnia non in verbum, ſed quatenus ſunt hypotheticæ in connexionem, hoc eſt, in notam hypotheticam, incumbunt. Notas voco omnes conjunctiones (quas

dynameis grammatici dicunt)&adverbiatẽporis,loci, ſimilitudinis,comparationis,& ſimilia, ut, ſi, &, nec, vel,aut, quia,dum,tam,quando,æquè, &c. Pro diverſitate harum, diſtinguuntur ſpecies hypotheticarum: ſed ipſe brevitatis cauſâ,eas tantùm quæ præcipuæ habentur,explicabo. Hæ quinq; ſunt,Conditionalis, copulativa, disjunctiva,cauſalis,temporalis. Quanquam duæ ultimæ argumentationum formæ,magis quã propoſitionũ ſpecies cẽſendæ ſunt.Ad has reduci poſſunt quæ reliquæ ſunt. In conditionali reſpicere oportet conditionem.Nam vera non eſt, niſi prima propoſitio ſecundam probet,hoc eſt,ex neceſſitate inferatur, Si, præcepta Dei ſervaveris, ſalvus eris: Si parentes oderis,es improbus. Hæ falſæ ſunt; Si non es monachus,non es pius: Si uxor ſit formoſa, eſt honeſta: licèt fortaſſe partes ſunt veræ.Et hæc vera eſt,quamvis falſæ ſint partes; Si equus volabit, erit alatus. Copulativa non eſt vera niſi utraque pars pariter ſit vera: ut, Horrenſius fuit vir eloquens, & ſingulari memoriâ præditus.Falſa,ubi una pars eſt falſa: ut,Alexander fuit potentiſſimus, & ſobrius. Hanc quia nullam habet in ſe conditionem, quidam ab hypotheticis rejiciunt. Disjunctiva è contrario vera eſt, cujus una pars eſt vera: ut,Fraus eſt licita, vel mercatores delinquunt. Falſa non eſt, niſi ubi utraque pars ſimul falſa fuerit: ut,Scurrarum vita eſt honeſta,vel nemo avaro felicior: Cauſalis & temporalis, conditionalis naturam imitantur. Falſæ enim ſunt niſi prior propoſitio alteram neceſſariò probaverit. Prioris exemplum:Dies eſt,quia ſol eſt in noſtro horizonte. Poſterioris exemplum: Dum quis vivit, ſpirat: Dum quis cernit,oculos habet. Nec refert utra pars in his præponatur: ut, Nox eſt nobis, dum ſol eſt in altero hemiſphærio.Sunt hæc omnia de hypotheticis affirmativis intelligenda. Non convertuntur hypotheticæ; nec oppoſitionem habent, niſi contradictionem,

cùm

cùm toti propoſitioni præponitur negatio, vel aufertur præpoſita: ut, Si vis ad vitam ingredi, ſervanda ſunt mandata: Contradictio eſt; Non, ſi vis ad vitam ingredi, ſervanda ſunt mandata. Non, dum apud Antipodes eſt ſol, nobis nox eſt: Contradictio; Dum apud Antipodes eſt ſol, nobis nox eſt: qui modus faciendi contradictionem generalis eſt etiam in categoricis: ut, Omnis avarus eſt miſer, non omnis avarus eſt miſer Nemo odit ſeipſum, non nemo odit ſeipſum: & ità de reliquis. Omittitur interdum nota, venuſtatis causâ: ut, Liberali ingenio prodeſt lenitas, pravo nocet. Pauperi deſunt multa, avaro omnia. Præſente præceptore, auſcultant diſcipuli. Optare potes quæ velis, conſequi quæ velis non potes. Omnis copulativa participare videtur univerſalitatem, & omnis disjunctiva particularitatem. Itaque ſunt qui tradunt, copulativam contradicere disjunctivæ, ubi partes ſunt oppoſitæ: ut, Scipio Hannibalem vicit, delevítque Carthaginem. Non vicit Hannibalem Scipio, vel Carthaginem non delevit. Rurſum; Nullus poëta doctior eſt Homero, vel nullus antiquior: Eſt aliquis poëta doctior, & antiquior Homero. Eſt porrò attendendum, nodum copulativum poſſe bifariàm accipi aliquando; aut complexim, aut ſigillatim: ut Omnis noſtra vis in animo & corpore ſita eſt. Si (&) capiatur complexim, vera & categorica eſt. Si ſigillatim, eſt copulativa falſa: ſignificat enim omnẽ vim in animo eſſe, & itidem omnem eſſe in corpore; utrumque eſt falſum. Hujus generis ſunt; Lac & piſcis ſunt venenum: Duo & tria ſunt quinque: Anima & caro unus eſt homo: Argumentatio eſt antecedens & conſequens: & alia ſimilia. Disjunctionis etiam nodus nunc disjunctivè, nunc copulatim capitur: ut, Omne animal aut homo eſt, aut brutum. Si ſumatur (aut) disjunctivè, eſt falſa propoſitio: nempe deſignat omne animal eſſe hominem tantùm, vel omne animal eſſe brutum. Si nota copulatim

accipiatur, designat hominem & brutum pariter inter se, omne animal complecti. Multæ sunt hujus generis propositiones: quas hîc repetere magis esset longum quàm necessarium.

CARTER *De definitione hypotheticæ propositionis dictum est priùs.*

Secundi libri finis.

LIBER TERTIUS.

De Argumentatione.

SETON. SUmmus hujus artis scopus, ad quem omnia diriguntur, est argumentatio. Cui explicandæ tertium librum destinavimus.

Primùm ergò quid argumentatio, deinde quotuplex sit, postremò quæ ei affinia sint, demonstrandum est: qui ordo suprà à nobis est servatus.

Argumentatio est propositionum ad illativam notam connexio: ut, Chremes fuit ebrius, ergò futilis.

Tria sunt in argumentatione notanda: Antecedens, nota, & consequens.

Antecedens est prior pars argumentationis, notam præcedens.

Consequens verò posterior, eandem subsequens.

Nota denique velut nodus quidam est, ipsas res connectens: ut, Catilina fuit proditor patriæ: ergò meritò Româ expulsus. Hîc

Hîc antecedens, Catilina fuit proditor patriæ; ergò, nota: meritò Româ expulsus, consequens.

Antecedens quandoque in duas secatur partes: Priorem vocant majorem, alteram minorem: de quibus suo loco dicemus.

Argumentum est probabile, inventum ad faciendam fidem de re aliqua: alii Medium vocant.

Argumentatio in bonam & malam consumitur.

Bona est cujus antecedens necessariò infert consequens: ut, Cernit, ergò oculos habet.

Mala est, cujus antecedens aut non omnino, aut non ex necessitate probat consequens: ut, Attalus fuit dives, ergò liberalis.

QUoniam in primo libro terminum incomplexum ac in secundo propositionem explicuimus, postulat ordo, ut in hoc tertio libello illustretur argumentatio, qua nihil in tota dialectica spatiosius, amplius, aut majus. Quemadmodum enim ab exiguis fontibus orta flumina augescunt spatio, & in immensum crescunt: ità & omnis scientia à parvis principiis initium faciens, latiùs indè emanat, & progressu ad majora evagatur, tandémque in ampliſſimam immensitatem expatiatur. Argumentatio est propositionum ad illativam notam connexio: vel, ut aliis placet, Oratio quâ quis rei, de qua dicit, fidem facere conatur: ut, Nero fuit tyrannus, ergò indignus imperio. Hæc non aliter ex pronuntiatis, quàm ex terminis pronuntiatum componitur. Et ut in hoc, subjectum, copula, & prædicatum, sic tria quoq; notanda sunt in omni argumentatione, Antecedens, nota, & consequens. Antecedens est, quicquid notam antecedit. Consequens, quod notam sequitur.

Nota,utriusque nodus est.Ut,Lucretia seipsam interfecit:ergò fuit homicidii rea. Antecedens est,Lucretia seipsam interfecit:ergò, nota: fuit homicidii rea,consequens. Antecedentis quandoque duæ sunt partes, Major, & minor: de quibus suo loco plura dicemus. Antecedens, Ratio, propositúmque dicitur: Consequens,Intentio, conclusio, illatio, complexio, connexio,sequens,& thema appellatur.Notæ sunt,Ergò, ideo, igitur, proinde, itaque, & siqua sunt hujusmodi. Totam autem utriusque connexionem,Argumentationem, ratiocinium,sequelam,consequutionem,vulgò consequentiam, Cicero conclusionẽ dicit.Argumentum vocant alii medium, alius minùs rectè, antecedens.Consequentiarum hæc bona, illa mala.Bona est, cujus antecedens non potest esse verum, nisi etiam consequens unà sit verum:ut,Nullum regnum scelere partum est diuturnum: ergò nec Philippi Macedonis regnum est diuturnum.Mala est,cujus antecedens potest esse verum, consequenti existente falso:ut, Pulegium est medicamentum: ergò non est nutrimentum. Non defuêre qui bonam in geminam speciem diviserunt,alteram à materia, alteram à forma nominantes: & rursum,quam materialem vocant,in aliquot species, quas hîc repetere longius esset,opinor,quàm utile.

ANNOTATIONES P. CARTERI in tertium librum dialecticæ Joannis Setoni.

CARTER. *Liber tertius inscribitur de argumentatione, quia argumentari est finis totius Dialectices.*

Discrimen inter Argumentationem & Argumentum.

ARgumentatio & argumentum in hoc differunt, quòd argumentatio est argumenti per orationem explicatio.

Nam

Nam argumentatio complectitur argumentum probans cum conclusione quam probat.

Argumentatio quid.

Argumentatio est ratio concludendi unam propositionem per alteram, per aliquam conjunctionem illativam: ut, Fusitia est virtus, ergò est laudabilis.

Argumentum est ratio, quæ rei dubiæ facit fidem. Argumentum dicitur medium, quia tota vis argumentationis dependet ex medio.

Fidem facimus dupliciter.

Per notiora naturâ, } *Syllogismo.*
Per notiora nobis. } *Inductione.*

Antecedens in syllogismo tantùm, in duas secatur partes, quæ Major & Minor dicuntur.

Argumentatio bona bifariam dicitur: { *Ex forma.* / *Ex materia.*

Argumentatio bona ex forma dicitur, & non ex materia, quando sit recta dispositio terminorum, licèt propositiones ipsæ sint falsæ.

Argumentatio bona ex materia dicitur, quando propositiones veræ sunt ex quibus fit argumentatio, tamen dispositio illarum mala est.

Argumentationum aliæ bonæ, aliæ malæ.

Hæc Setoni divisio, est nominis divisio, non rei.

Quatuor sunt argumentationis formæ.

SETON.

Syllogismus.
Inductio.
Enthymema.
& Exemplum.

Enthymema ad syllogismum, Exemplum ad inductionem referunt: Aristoteles illud rhetoricum syllogismum, hoc rhetoricam inductionem nominat. Syllo-

Syllogiſmus eſt oratio, in qua ex duabus præmiſſis conceſſis, neceſſariò per conceſſas infertur concluſio: ut,

Omnis ars alit artificem,
Pictura eſt ars: ergò,
Alit artificem. } Ars.

Tres ſunt in omni ſyllogiſmo enuntiationes; major & minor propoſitio nodum præcedentes, ac eundem ſequens concluſio.

Tres ſunt etiam ſimplices voces in ſyllogiſmis; major, minor, & media: doctis extrema nominantur.

Majus extremum, eſt quod in majori propoſitione ſumitur cum medio.

Minus extremum, quod in minore propoſitione cum medio ſumitur.

Medium verò dicitur, quod in utraque præmiſſa capitur.

Materia ſyllogiſmorum, ipſa ſunt axiomata.

Forma, eſt axiomatôn diſpoſitio.

Modus, eſt pronuntiatorum quantitatis & qualitatis ratio.

Figura, eſt certa debitáque diſpoſitio medii.

Bis duo prima tibi numerat, totidémque ſecunda:
Ultima quæ reſtat, retinet ſex verba, figura.

Medii diſpoſitio:

Præcedit copulam primâ medium, ſequitúrque:
Aſt bis præcedit ternâ, ſequitúrque ſecundâ.
Præmiſſæ medium majórque minórque capeſſunt:
Hoc tamen, ut Scyllam, ſemper concluſio vitat.

Argu-

Argumentatio bona quatuor ſub ſe ſpecies continet. Syllogiſmum, inductionem, enthymema, & exemplum: Duæ priores perfectæ ſunt, & ſecundum philoſophum, dialecticis propriæ. Duæ reliquæ imperfectæ, captioſæ, & poëtis familiariores. Syllogiſmus eſt oratio, in qua conceſſis majore & minore, neceſſariò per eas ſequitur concluſio. Syllogiſmus Ratiocinatio dicitur à Cicerone: ab aliis Collectio. Major & minor propoſitio, quia præcedunt nodum, Præmiſſæ appellantur. Concluſio ex præmiſſis inducitur. Quæ partes variè à variis nominantur, ut hîc patet.

Syllogiſmi.

1. Pars. — Ab Ariſtotele, A Cicerone, A Quintiliano, A Themiſtio, A Boëthio, A Rodolpho — Propoſitio major, Propoſitio, Intentio, Sumptum, Expoſitio — vel propoſitio — Dicitur.

2. Pars. — Ariſtoteles, Cicero, Quintilianus, Themiſtius, Boëtius, Rodolphus — Propoſitionem minorem, Aſſumptionem, Aſſumptionem, Sumptum, Aſſumptionem — vel propoſitionem — Vocat.

3. Pars. — Ab Ariſtotele, A Cicerone, A Quintiliano, A Themiſtio, A Boëthio, A Rodolpho — Concluſio, Complexio, Connexio, Concluſio, Concluſio, Intentio — Appellatur.

Majus

Majus, minus,& medium extremum,vulgò termini &extremitates nominantur.Majus extremum ſumitur cum medio in majore propoſitione:Minus in minore ſumitur cum medio.Majus in concluſione prædicatur: Minus ſubjicitur. Medium in utraque præmiſſa capitur,nec unquam ingreditur concluſionem. Notandæ ſunt in ſyllogiſmo,materia & forma. Ad formam ſpectat modus,& figura. Modi ſunt quatuordecim,& tres figuræ,ut docent verſiculi,

Bis duo prima tibi numerat, &c.

Barbara, Celarent, Darii,Ferio, integri habentur:
Ad quos ducuntur reliqui, cùm perficiuntur:
Cæſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti:
Felapton,Diſamis,Datiſi,Bocardo,Feriſon.

Addunt alii quinque alios modos primæ figuræ,quos vocant indirectos, quòd in concluſione majus extremum minori ſubjicitur,cùm contrà fit in reliquis. Varietas figurarum ex medio provenit, quandoquidem medium, in prima figura eſt ſubjectum in majore, & prædicatum in minore:In ſecunda bis prædicatur medium:In tertia verò medium bis ſubjicitur,id eſt,in utraque præmiſſa: ut verſus indicant.

Præcedit copulam, &c. Medium (ut diſtichon indicat)non ingreditur concluſionem. *Præmiſſæ medium, &c.* Concluſio igitur ex majore & minore extremo conflatur, quæ directa vocatur, quoties majus extremum de minore prædicatur. Præterea Concluſio cogitatione eſt prima ſyllogiſmi pars: major, hoc eſt ejus ratio vel cauſa,ſecunda: & minor,ultima. Verùm priuſquam ſyllogiſmum abſolvam, docendi ſunt pueri, quo pacto ſeſe inter argumentandum gerant.

De diſputatione.

Diſputatio eſt aliquorum de re controverſa argumentoſa conflictatio. In hac latens veritas diligenti examine diſcutitur, Quippe ut in arbore putanda ſegmenta

menta rejicimus, ità in dissertatione, concisi falsis & ambiguis ad vera & indubitata sensim pervenitur. In omni autẽ disputatione debet esse, qui ratiocinia proponat, & qui ei ad illa respondeat: alter oppugnator, alter propugnator appellatur. Illi inventio præcipuè, huic judicium semper ob oculos est ponendum. Alter argumentis ceu gladio proscindere, ferire, penetrare conetur: alter dialecticæ judicio, velut clypeo quodam, ictus declinabit, vitabitq;, petitionis impetum franget, irruenti resistet, seséque illæsum & intactum tuebitur, hoc est veritati, ceu sacræ anchoræ adhærebit. Non licet uni eidémque inceptâ semel dissertatione, nunc opponentem nunc respondentem agere, velut imperiti grammaticastri, qui ob imperitiam alternatim quæstiones agitant. Imò dialecticorum est obnixè invicem ratiocinandi formam servare, nè disputantium vices ullo modo confundantur.

Disputantis officium.

Disputantis officium est priùs meditari quod proponat, scopúmque aliquem in animo præfixum habere, quò (si possit) denso argumentationum agmine adversarium impellat. Huc rationes suas omnes dirigat, nec ullam sinat ansam arripere ad alia deflectendi, obstruat viam aufugienti, & angulos quærentem revocet, retrahátque, & quasi vallo quodam undique obsistat, ne quoquo pacto refugium inveniat, aut è cassibus elabatur. Facilè autem tergiversabitur antagonista, seséque è faucibus eripiet, si multa simul, & turbato ordine proponamus, aut si argumentationem absque forma & vinculis proferamus. Urgeat ergò disputator angustè, ut ad totam connexionem, aut ad ejus partes respondeat, non perplexè, sed clarè, & certa cum asseveratione. Responsum animo versét, num consonum & idoneum sit, aut secus: deinde quale quale sit, argumento aliquo impugnet. Si sequela denegabitur, argumentationis formam allegabimus. Sin propositum,

tum aut ejus pars negetur ab adversario, novo medio confirmetur, donec tandem veniamus ad aliquid quod certum sit, taléq; ut negare id adversarius non possit. Si quid elargiatur, ex ipso aliud colligendum est, deinde ex jam collecto rursus aliud inferendum, & ex illo denique aliud, donec tandem ad primum illud perveniamus quod reliquarum argumentationum serie conati sumus asserere: quod profectò arduum non erit, si in utramq; partem, hoc est, ad confirmandum, infirmandúmque accedamus instructi. Argumenta dabunt loci, quæ (ut prænonui) in argumentationis speciem sunt colligenda, atque ità decenti ordine objicienda, quoad voti compotes simus, vel donec resolvendus sit adversarius, & nostro arbitrio quasi è compedibus emittendus: id quod tum plerumque fieri solet, cùm ceu captivus in laqueos ducitur, vel rationem missam facere, à digniore aliquo, qui disputationi præsidet, jubemur. Exemplum, ut, si quis neget sapientem esse divitem: probabis hoc pacto: Sapiens nullis caret opibus, ergò est dives. Antecedens probabis ad hunc modum, Sapiens habet opes quas vult, ergò non caret ullis: & iterùm antecedens sic suadebis; Sapiens nullas cupit, ergò habet quas vult; Antecedens rursum; Sapiens non putat opes esse bonas, ergò nullas cupit. Denique sic adhuc probabis antecedens; Sapiens solam virtutem in bonis esse judicat, ergò divitias non putat esse bonas, atque ità deinceps in infinitum, quicquid negatur, novo medio stabilies.

Officium respondentis.

Respondentis est (qui diversa tuetur, & pro vero pugnat) primum in initio statim ratiocinium quo proponitur ordine repetere, deinde deliberare, & secum priùs in animo meditari, diligentérque apud se statuere, quid sit respondendum, caveréque ne ad redargutionem, ut vocant, hoc est, palinodiam, nec ad falsum concedendum verúmve negandum, nec ad negationem,

gationem, aut ullam abſurditatem aſſerendam impellatur. Cavendum in primis ne ullâ rerum ſimilitudine decipiatur. Animadvertet ſedulò, quibus involvatur nexibus ratiocinium, & quibus modis diſſolvi oporteat, quod confirmatum eſt. Reputet antea tacitè apud ſe, quò videatur argumentatio ſpectare, & quaſi è longinquo reſpiciat, num ſi hoc aut illud aſſerat, pacatum finem, veluti portum quendam, ſit habitura. Res pariter & connexio examinanda eſt, antequam ſuam proferat in medium ſententiam: nam nunc materia, nunc conſequentiæ artificium fallit.

Non eſt fas, ut reſpondor ulla diſputanti objiciat, aut quæſtiones proponat; ſuum agat negotium, id eſt, objecta repetat, repellat, ſolvat. Tantùm ad interrogata reſpondeat, & quantum datur, in ſingulis ſatisfaciat oppoſitori. Repellitur argumentatio negatione, ſolvitur diſtinctione: nam eludere abſurdo, & objecta retundere, non tam fortaſſe dialectici eſſe, quàm grammatici & rhetoris, quibuſdam videbitur. Duplici verò nomine repetimus quod proponitur, tum nè fortè vocum aliquâ vicinitate decepti obaudiremus, tum nè ad excogitandam reſponſionem non ſatis daretur ſpatii, quando præceps & inconſultum reſponſum rarò vacat vitio, ut ait ille.

Repetitâ ergò, & quaſi ruminatâ aliquoties argumentatione, vel quæſtione, non ſolùm tota per ſe partium connexio, verùm etiam ſingulæ ejus partes ſingulatim ponderandæ nobis veniunt, ad quas, pro earundem qualitatis diverſitate ſeparatim, peculiari ſuo partibus addito nomine, convenit reſponſum dare. Præterea, reſponſori ſummâ opus eſt cautione, ubi quis Socratico more ſecum iniit diſputationem: hoc eſt, ubi nullâ propoſitâ argumentatione, varias quæſtiones doloſè agitat, cujus in inductione exemplum dabimus. Adverſarium quoque nos blandâ voce demulcentem, laudantémve quod ei largiuntur, ſuſpectum habere

habere debemus, nec minùs ducentem, quàm trahentem vereri. Porrò quorsum tendant ejus conatus, priùs imaginemur, quò citiùs scopum illum, ad quem nos velit adactos, velut scopulos vitemus, ac fugiamus cane peius & angue, ut est in proverbio. Nam caput est videre in altercatione, quid positum sit in controversia, nè in ipso portu impingas: Proximum, ut illorum naturam omnem, de quibus agitur, probè perspectam habeas, ne Andabatarum more, clausis oculis dimices, nè velut Labyrinthum ingressus, quò eas interiùs, eò exitus sit incertior.

Propositio vera,
Quæstio vera,
Argumentatio bona, } *Sunt concedendæ.*

Propositio falsa,
Quæstio falsa,
Argumentatio mala, } *Sunt negandæ.*

Propositio multiplex,
Quæstio multiplex,
Argumentatio dubia, } *Sunt distinguendæ.*

Decipit enim facilè multiplex, de quo non fuerit priùs præmissa distinctio. Nullum nobis negotium facessunt, quæ indubitatæ sunt fidei, aut prorsus à vero alienæ: at probabilia rectè discernere, hoc opus, hic labor est. Ad hæc, quicquid denegabimus, seu id verum sit, seu falsum, conabitur illud disputator (si possit) ratione confirmare, & suffulcire, id quod citra novam argumentationem nequit omnino fieri. Secunda igitur illa argumentatio, & quasi ex responso recens nata, quâ negatum colligitur conficiturque, non minùs quàm prior recitanda, & diligenter pensitanda venit, atque ità porrò donec ad solutionem tandem ventum sit, quæ sanè nunquam aut perrarò absque distinctio-

ne

ne (si doctis credamus) invenietur. Ac quoniam veritatis & eruditionis tantùm gratiâ decertandum est, non sunt falsa nimis pertinaciter defendenda. Satius est victori herbam porrigere, & infantiam confiteri, quàm à falso stare, & sophistarum more de verbis inaniter argutari. Absit procul rixandi desiderium, absit contumelia, facessant convitia, quæ bilioſis ingenium obfuscant, mentis aciem perstringunt, omne rationis penè lumen extinguunt. Mitte Scotistis omnem inanem loquacitatem: nullum est enim certius illiterati argumentum, quàm garrulitas muliebris: doctos decet modestia, & morum candor ingenuos. Nec respondenti licet, recitato ratiocinio, statim ad ipsam solutionem (tanquam respondendi munere gravaretur, aut laqueos timeret) festinare. Longè enim est aliud verè respondere, aliud rectè & appositè; quare aut omnia pariter concedere, aut antecedens, aut sequelam, aut denique negare, vel distinguere oportet. Nam consequens inficiari nemo soler, nec debet. Hanc rem multò exercitamentis faciliùs quàm regulis percipies. Nam si quis sic disputationem nobiscum institueret; Omnis mercator est improbus, ergò est puniendus: Non hîc sequela, sed propositum est negandum. Si hoc pacto probet; Omnis mercator utitur fraude, ergò Omnis mercator est improbus: hîc etiam antecedens negabis. Quòd si sic probet; Omnis mercator pluris revendit, quàm emit merces: igitur utitur fraude: Jam neganda est consecutio. Si allegabit enthymema, dicimus ejus formam non semper esse efficacem ad probandum institutum.

Nunc ordine syllogismos colligamus.

Prima figura.

Bar- *Omne vitium est castigandum,*
ba- *Omne mendacium est vitium: ergò,* } *Vitium*
ra. *Omne mendacium est castigandum.*

Ce- *Nullus magistratus reddit honestum,*
la- *Omnis prætura est magistratus: ergò,* } *Magistratus.*
rent. *Nulla prætura reddit honestum.*

Da- *Quisque affectus est reprimendus,*
ri- *Ira est affectus: ergò,* } *Affectus.*
i. *Ira est reprimenda.*

Fe- *Nulli lascivi sunt legendi,*
ri- *Quidam poëtæ sunt lascivi: ergò,* } *Lascivus.*
o. *Quidam poëtæ non sunt legendi.*

Hi quatuor soli perfecti sunt, reliqui omnes imperfecti.

Prima figura est perfectorum tantúm. Perfectus est syllogismus, cujus partes, quasi naturæ ductum sequentes, non possunt in meliorem formam reduci: reliqui modi sunt imperfectorum. Itaque transmutatione & conversione egent, priusquam ad perfectorum ordinem reducantur: quam rem mox planiorem faciam. Subjungam hîc etiam quinque illos, qui vulgò adduntur, primæ figuræ modos. Etsi enim conclusionem, ut vocant, indirectam, hoc est, conversam inferunt, necessariò tamen sequitur adsumpta. Nam si ad easdem præmissas in Barbara sequitur hæc conclusio; Omnis sobrietas est amplectenda: necessariò per conversionem attenuatam sequitur; Aliquod amplectendum est sobrietas: & ità in cæteris modis.

Ba- *Omnis temperantia est amplectenda,*
ra- *Omnis sobrietas est temperantia: ergò,* } *Temperantia.*
lipton. *Aliquod amplectendum est sobrietas.*

Ce- *Nullum vitium est decens,*
lan- *Omnis audacia est vitium: ergò,* } *Vitium.*
tes. *Nullum decens est audacia.*

Da- *Quodvis crudele est odiosum,*
bi- *Aliquod bellum est crudele: ergò,* } *Crudele.*
tis. *Aliquod odiosum est bellum.*

Fapesm

Fa Omnis avarus eſt miſer,
peſ- Nullus probus eſt avarus: ergò,
mo. Aliquis miſer non eſt probus. } Avarus.

Fri- Quædam modeſtia eſt laudabilis,
ceſ- Nullum convitium eſt modeſtia: ergò,
morum. Aliquod laudabile non eſt convitium. } Modeſtia.

Fapeſmo & Friceſmorum dicuntur omnibus figuris ex æquo congruere, & communes eſſe, ſi medium ad debitam figurarum naturam rectè temperetur.

Secunda figura.

Ce- Nemo liberalis cupit aliena,
ſa- Omnis avarus cupit aliena: ergò,
re. Nullus avarus eſt liberalis. } Cupiens aliena.

Ca- Omnis prudens eſt temperans,
me- Nullus voluptuarius eſt temperans: ergò,
ſtres. Nullus voluptuarius eſt prudens. } Temperans.

Fe- Nullum ſcelus eſt excuſabile,
ſti- Aliqua culpa eſt excuſabilis: ergò,
no. Aliqua culpa non eſt ſcelus. } Excuſabilis.

Ba- Omnis fraus eſt probibita,
ro- Quædam mercatura non eſt prohibita: ergò,
co. Quædam mercatura non eſt fraus. } Prohibita.

Tertia figura.

Da- Omne perjurium eſt flagitium,
rap- Omne perjurium eſt mendacium: ergò,
ti. Aliquod mendacium eſt flagitium. } Perjurium.

Fe- Nulla dialectica eſt venalis,
lap- Omnis dialectica eſt ſcientia: ergò,
ton. Aliqua ſcientia non eſt venalis. } Dialectica.

Di-Castigatio est necessaria,
sa- Omnis castigatio est pœna: ergò, } *Castigatio.*
mis. Pœna est necessaria.

Da- Omnis studiosus est adjuvandus,
ti- Quidam studiosus est pauper: ergò, } *Studiosus.*
si. Quidam pauper est adjuvandus.

Bo- Aliqua podagra non est medicabilis,
car- Omnis podagra est morbus: ergò, } *Podagra.*
do. Aliquis morbus non est medicabilis.

Fe- Nulla severitas placet puero,
ri- Aliqua severitas est perutilis: ergò, } *Severitas.*
son. Aliquod perutile non placet puero.

CARTER. *Quatuor sunt species bonæ argumentationis:* { *Syllogismus. Enthymema. Inductio. Exemplum.*

Regula.

Syllogismus & inductio ad dialecticos præcipuè pertinent. Syllogismus est oratio composita, in qua, majore & minori concessis, necessariò per concessas infertur conclusio.

Regula.

Conclusio diversum quiddam est à præmissis, quatenus ad formam syllogismorum, non quatenus ad materiam.

De syllogismo.

Divisio syllogismi.

Duplex est syllogismus, { *Categoricus,* } *Communis, Singularis.* { *Hypotheticus.*

Syllogismus categoricus est, cujus præmissæ & conclusio categoricæ propositiones sunt.

Hypotheticus syllogismus est, cujus præmissæ vel conclusio categorica est.

Categoricus

Categoricus syllogismus.

Directè concludens } *Est syllogismus concludens majorem extremitatem de minore.*

Indirectè, } *Est syllogismus concludens minorem extremitatem de majore.*

Subdivisio categor. syllog.

Catego. syllogismus, } *Perfectus, qui nullius alterius indiget, ut conclusio demonstretur esse necessaria.*
Imperfectus, qui indiget vel ostensiva reductione, vel reductione per impossibile, ut conclusio sit perfecta.

Quatuor modi primæ figuræ tantùm perfecti, reliqui omnes imperfecti.

Syllogismorum divisio.

Syllogis. } *Demonstrativi.*
Dialectici.
Sophistici.
Obratiocinationes.

Demonstrativus syllogismus constat ex necessariis principiis, & immediatis alicujus artis.

Dialecticus ex probabilibus constat.

Sophisticus ex apparentibus veris.

Obratiocinatio dicitur, quando ipsa argumentatio peccat in propriis principiis, malè quidem intellectis, vel diminutè sumptis.

Divisio sophistici syllog.

Sophisticus syllog. triplex.

Materiâ tantùm,
Formâ tantùm, } *Peccans.*
Formâ & materiâ,

Sophisticus syllogismus peccans materiâ tantùm, dicendus est syllogismus: omnis enim argumentatio denominatur ex conclusione.

Tres sunt in omni syllogismo simplices dictiones : cætera supplementa dicuntur.

Materia syllogismorum sunt ipsæ propositiones ex quibus fit syllogismus.

Forma syllogismorum est propositionum dispositio.

Modus, est certa declaratio quantitatis & qualitatis propositionum.

Figura est quæ docet quomodo medium disponatur in unoquoque syllogismo.

Dispositio medii.

Sub præ, prima: bis præ, secunda: tertia, bis sub.

Expositio versiculi.

In prima figura medium est subjectum in majore, & prædicatum in minore. In secunda figura est prædicatum tam in majore quàm in minore. In tertia figura medium est subjectum & in majore & in minore.

Regulæ Titelmanni de ratione inveniendi medium.

1 *Concludere volentibus universalem affirmativam, sumendum est consequens subjecti, & antecedens prædicati.*

2 *Ad concludendum particularem affirmativam, antecedens ad utrunque extremorum sumendum est.*

3 *Ad concludendum universalem negativam, sumendum est consequens subjecti, & extraneum ad prædicatum: vel consequens prædicati, & extraneum subjecti.*

4 *Ad concludendum particularem negativam, sumendum est antecedens subjecti, & extraneum prædicati.*

Expositio earundem.

Medium in Barbara, est superius subjecto conclusionis in toto: & inferius prædicato in toto.

Medium in Celarent, est superius subjecto in toto, & repugnans prædicato in toto.

Medium in Darii, est inferius prædicato in toto, & superius

perius ſubjecto in toto, & aliquando ex parte.

Medium in Ferio, eſt ſuperius ſubjecto ex parte, & repugnans prædicato in toto.

De ratione inveniendi medium in 2. figura.

Medium in Ceſare, eſt ſuperius ſubjecto concluſionis in toto, & repugnans prædicato in toto.

Medium in Cameſtres, eſt ſuperius prædicato concluſionis in toto, & eodem modo ſubjecto repugnans.

Medium in Feſtino, eſt ſuperius ſubjecto ex parte, & repugnans prædicato in toto.

Medium in Baroco, eſt ſuperius prædicato in toto, & repugnans ſubjecto ex parte.

De ratione inveniendi medium in 3. figura.

Medium in Darapti, eſt inferius tam ſubjecto quam prædicato in toto.

Medium in Felapton, eſt repugnans prædicato concluſionis in toto, & in toto ſubjecto inferius.

Medium in Diſamis eſt inferius ſubjecto concluſionis in toto: & inferius prædicato ex parte.

Medium in Datiſi, eſt inferius prædicato concluſionis in toto & ſubjecto ex parte.

Medium in Bocardo, eſt repugnans prædicato concluſionis ex parte, & inferius ſubjecto in toto.

Medium in Feriſon, eſt repugnans prædicato concluſionis in toto, & inferius ſubjecto ex parte.

IN his vocabulis, quæ vocamus modos, ſignificativæ ſunt literæ quædam. SETON.

A Univerſalem affirmativam,
E Univerſalem negativam,
I Particularem affirmativam,
O Particularem negativam
} deſignat.

Reductio ſyllogiſmorum eſt cùm ſecundæ & tertiæ figuræ ſyllogiſmi ad primæ figuræ ordinem diſponuntur, eâdem remanente materiâ.

Imperfecti autem ad eos perfectos reducuntur, qui ab eiſdem literis incipiunt.

In reductione eſt advertendum quòd B,C, D, F, in imperfectorum principiis,eos modos ad illos quatuor perfectos debere reduci denotant, qui ab iiſdem characteribus initium ſumunt: ut, Baroco ad Barbara, Ceſare ad Celarent, & ità de aliis. Adhæc,

M. mutationem præmiſſarum,
P. attenuatam converſionem, } repræſentat.
S. ſimplicem converſionem,
C. ſi alibi quàm in primo loco ponitur, per impoſſibile converſionem denotat.

Reductio imperfectorum.

1 Tres primi imperfecti in prima figura per converſionem concluſionis reducuntur. Quartus & quintus converſas præmiſſas tranſponunt.

2 In ſecunda figura primus & tertius modus, per converſionem majoris: ſecundus mutatis præmiſſis & converſis minore & concluſione: quartus ſolùm per impoſſibile reducitur.

3 In tertia figura,primus,ſecundus,quartus,& ſextus modus,per converſionem minoris. Tertius tranſponit præmiſſas, majore & concluſione converſis: denique quintus ſolùm per obliquum ſyllogiſmi ductum perficitur. Poteſt quiſq; modus per obliquum ductum probari: at Baroco & Bocardo nullam aliam reductionem agnoſcunt. Reductio per impoſſibile eſt,cùm ex contradicentia concluſionis cum alterutra præmiſſarum colligitur alterius præmiſſæ contradicentia:ut,Omnis fraus eſt prohibita,quædam mercatura non eſt prohibita: ergò, quædam mercatura non eſt fraus: ſic reducitur; Omnis fraus eſt prohibita, omnis mercatura eſt fraus: ergò, omnis mercatura eſt prohibita. Sic etiam Bocardo; Quædam podagra non eſt ſanabilis, omnis

podagra

podagra est morbus: ergò quidam morbus non est sanabilis: Ità reducitur ad Barbara. Omnis morbus est sanabilis, omnis podagra est morbus: ergò, omnis podagra est sanabilis. Servat majorem Baroco, Bocardo minorem: ille à majore, hic à conclusione incipit in reductione. De his satis.

Hunc tam concinnum syllogismorum ordinem, qui maximè in quatuor perfectis conspicitur, nos docuit ipsa natura: nobiscum enim simul nascuntur scientiarum principia.

Utilissimum est, quando syllogismum colligis, figuras & modos semper in mentem revocare. Si universale sit quod probatum iri cupis, universali modo ad hoc inferendum convenienti est utendum; sin particulare, utendum aliquo modo particulari. Nihil enim firmiter statuitur, nisi quod in conclusione per præmissas infertur. Quicquid autem negatur inter ratiocinandum, in novi syllogismi conclusione semper ponendum est, donec voti compotes fuerimus. Categorici & simplices syllogismi in dialectica sunt usitatiores.

Porrò, ut inventio ex locis propriè petitur; ità judicium, altera dialecticæ pars, præcipuè ex syllogismi cognitione pendet, cóque plura nobis hîc de eo sunt dicenda.

Modi alii sunt universales, alii particulares: & rursum, alii affirmativi, alii negativi, quas nomenclaturas à conclusione habent. Tum enim universales vel particulares dicuntur, cùm conclusio sit universalis vel particularis, & ità de affirmativis & negativis est dicendum.

dum. Si universale sit quod statuere vis (thematis enim quantitas inprimis est spectanda) Barbara aut alio universali modo est utendum. Sin particulare, tum Darii, Ferio, aut alii particulares modi conveniunt. Nam ponendum est semper in conclusione, quod cupimus persuasum iri, excogitandæque sunt (invento semel medio) præmissæ, unde illud commodissimè sequi potest: quæ si fortè negentur, & ipsæ statim in conclusione alterius syllogismi ponantur, & per alias novas præmissas probentur. Insuper dirimitur syllogismus in categoricum & hypotheticum. Categoricus est, cùm & præmissæ & conclusio sunt categoricæ enuntiationes: Hypotheticus, quando harum aliqua sit hypothetica. Categoricus, in communem & singularem. Communis, in simplicem & compositum, quæ nomina ab extremis induntur. Communis dicitur, cujus extrema sunt communia: de singulari suo loco dicemus. Simplex est, cujus extrema sunt simplicia vocabula; quales sunt ferè syllogismi, quos hactenus collegimus: Compositus itidem est, cùm extrema sunt composita. Minùs apti sunt ad disputandum, quorum media & extrema sunt multùm composita, & idcirco à philosopho rejiciuntur.

Literæ significativæ in modis.

CARTER *A, E, I, O quantitatem & qualitatem propositionum designant.*

B, C, D, F, omnes modos imperfectos reduci ad modos perfectos ab eisdem literis incipientes.

M. mutationem præmissarum significat.

P. per accidens conversionem.

S. simplicem conversionem denotat.

C. in primo loco non positum, reductionem per impossibile significat.

De syllogismorum reductione.

Reductio syllogismorum est, cùm modi secundæ & tertiæ figuræ,

figuræ, & etiam modi indirectè concludentes, reducuntur ad modos primæ figuræ.

Divisio reductionis syllog.

Reductio syllogismor. duplex:

- *Ostensiva, sive demonstrativa;*
- *Per impossibile.*

Ostensiva sive demonstrativa reductio dicitur, quando modi imperfecti reducuntur ad modos perfectos (per conversionem terminorum, aut præmissarum mutationem, aut utramque) ab eisdem literis incipientes.

Per impossibile reductio, cùm ex contradicentia conclusionis cum altera præmissarum colligitur alterius præmissæ contradicentia, vel contrarium in Darapti & Felapton: in reliquis omnibus modis directè concludentibus, contradicentia.

Regulæ reductionis per impossibile.

Obtineat, *trahit ad primos obliqua secundos:*
Ad duo verba trahunt ternos, Certare tonanti.

Expositio carminum.

In vocabulo Obtineat *quatuor sunt vocales, quæ designant modos secundæ figuræ debere reduci ad modos primæ figuræ, quorum conclusiones eandem habent quantitatem & qualitatem cum ipsis vocalibus, ut Cesare ad Ferio, quia O significat particularem negativam, cujusmodi conclusio est in Ferio.*

Certare tonanti. *In his vocibus sex vocales continentur, quæ designant modos tertiæ figuræ debere reduci ad modos primæ figuræ, quorum conclusiones sunt ejusdem quantitatis & qualitatis cum ipsis vocalibus.*

Servat majorem, variátque secunda minorem.
Tertia majorem variat, servátque minorem.

Expositio carminum.

In reductione modorum secundæ figuræ, incipiendum est à majore propositione servatâ, & pro minore accipienda est contradictio

contradictio conclusionis, & concludenda est contradicentia minoris: ut,

Fe- Nemo liberalis cupit aliena,
ri- Aliquis avarus est liberalis: ergò, } Liberalis.
o. Aliquis avarus non cupit aliena,

In reductione modorum tertiæ figuræ, exordiendum est à contradicentia conclusionis pro majore propositione, servatâ minore propositione: concludendum contrarium majoris in Darapti & Felapton, in reliquis modis contradicentia: ut,

Ce- Nullum mendacium est flagitium,
la- Omne perjurium est mendacium: ergò, } Mendacium.
rent. Nullum perjurium est flagitium.

De reductione modorum indirectè concludentium.

Nesciebatis.

In omnibus indirectè concludentibus modis incipiendum est à contradicentia conclusionis, (præterquam in Celantes, nam ibi à minore) servando majorem, & concludendo contradicentiam, vel contrarium minoris conversæ.

De ostensiva reductione omnium modorum.

Baralipton reducitur ad Barbara per attenuatam conversionem conclusionis: ut,

Bar- Omnis temperantia est amplectenda,
ba- Omnis sobrietas est temperantia: ergò, } Temperantia.
ra- Omnis sobrietas est amplectenda.

Celantes reducitur ad Celarent per simplicem conversionem conclusionis: ut,

Ce- Nullum vitium est decens,
la- Omnis audacia est vitium: ergò, } Vitium.
rent. Nulla audacia est decens.

Dabitis reducitur ad Darii per simplicem conversionem conclusionis: ut,

Da- Quodvis crudele est odiosum,
ri Aliquod bellum est crudele: ergò, } Crudele.
i. Aliquod bellum est odiosum.

Fapesmo

Fapesmo reducitur ad Ferio per attenuatam conversionem majoris, & per simplicem conversionem minoris, & per transpositionem præmissarum: ut,

Fe- Nullus avarus est probus,
ri- Aliquis miser est avarus: ergò, } Avarus.
o. Aliquis miser non est probus.

Friesmorum reducitur ad Ferio per simplicem conversionem utriusque præmissæ, & earundem mutationem.

Fe- Nulla modestia est convitium,
ri- Quoddam laudabile est modestia: ergò, } Modestia.
o. Quoddam laudabile non est convitium.

De ostensiva reductione secundæ figuræ.

Cesare reducitur ad Celarent per simplicem conversionem majoris: ut,

Ce- Nemo cupiens aliena est liberalis,
la- Omnis avarus est cupiens aliena: ergò, } Cupiens.
rent. Nullus avarus est liberalis.

Camestres reducitur ad Celarent per simplicem conversionem minoris & conclusionis, & utriusque præmissæ transpositionem: ut,

Ce- Nullus temperans est voluptuarius,
la- Omnis prudens est temperans: ergò, } Temperans.
rent. Nullus prudens est voluptuarius.

Festino reducitur ad Ferio per simplicem conversionem majoris: ut,

Fe- Nullum excusabile est scelus,
ri- Aliqua culpa est excusabilis: ergò, } Excusabile.
o. Aliqua culpa non est scelus.

Baroco reducitur ad Barbara, non ostensivè sed per impossibile, quod indicat C. non collocatum in majori propositione: ut,

Bar- Omnis fraus est prohibita,
ba- Omnis mercatura est fraus: ergò, } Fraus.
ra. Omnis mercatura est prohibita.

De

Joannis Setoni

De ostensiva reductione tertiæ figuræ.

Darapti reducitur ad Darii per attenuatam conversionem minoris: ut,

Da-Omne perjurium est flagitium,
ri- Aliquod mendacium est perjurium: ergò,
i. Aliquod mendacium est flagitium.

} Perjurium.

Felapton reducitur ad Ferio per attenuatam conversionem minoris: ut,

Fe-Nulla dialectica est venalis,
ri- Aliqua scientia est dialectica: ergò,
o. Aliqua scientia non est venalis.

} Dialectica.

Disamis reducitur ad Darii per simplicem conversionem majoris & conclusionis, & præmissarum mutationem: ut,

Da-Omnis castigatio est pœna,
ri- Aliquod necessarium est castigatio: ergò,
i. Aliquod necessarium est pœna.

} Castigatio.

Datisi reducitur ad Darii per simplicem conversionem minoris: ut,

Da-Omnis studiosus est adjuvandus,
ri- Quidam pauper est studiosus: ergò,
i Quidam pauper est adjuvandus.

} Studiosus.

Bocardo reducitur ad Barbara, non ostensivè, sed per impossibile: ut,

Bar-Omnis morbus est medicabilis,
ba- Omnis podagra est morbus: ergò,
ra. Omnis podagra est medicabilis.

} Morbus.

Ferison reducitur ad Ferio per simplicem conversionem minoris: ut,

Fe-Nulla severitas placet puero,
ri- Aliquod perutile est severitas: ergò,
o. Aliquod perutile non placet puero.

} Severitas.

De syllogismo regulæ.

SETON. 1 MAjori inest maxima vis syllogismi, quæ penè semper conclusionem in-

tra

tra se complectitur.

2 In majori ergò causa conclusionis ponenda est, præsertim in prima figura: tum videndum nè subjectum minoris sit extra causam: atque ità necesse est conclusionem sequi.

3 In majori collocanda sunt plerunque, gnome, lex, communis sententia, locus communis, apophthegma.

4 Thesis etiam majori, Hypothesis verò conclusioni } convenit.

5 Major non potest esse particularis in prima aut secunda figura, si sit directa.

6 Major minus virium habet quàm minor in tertia figura.

7 Minoris subjectum in prima figura sub subjecto majoris continetur.

8 Minor non potest esse negativa in quatuor perfectis.

9 Minor in tertia figura semper est affirmativa.

10 Minor ad inferendam intentionem minus habet virium quàm major.

11 Ex præmissis veris rectéque constitutis infertur intentio ex necessitate vera.

12 Præmissæ probant, non probantur.

13 Conclusio probatur, nihil probat.

14 Conclusioni igitur minùs quàm præmissis creditur.

15 Conclusio rariùs ex convertibilibus conflatur.

16 Con-

16 Conclusio deteriorem sequitur partem.

17 Conclusio enim negatur, quoties altera præmissarum est negativa.

18 Conclusio etiam particularis est, ubi altera præmissarum est particularis.

19 Conclusio nec universalis, nec particularis unquam affirmatur, nisi ubi utraque præmissa sit talis.

20 Conclusio affirmativa ad confirmandum, negativa ad infirmandum est apta.

21 Conclusione falsâ, necesse est alteram propositionem esse falsam.

22 Conclusio minus continet, quàm altera præmissarum.

23 Concedenda est conclusio in omni bono syllogismo.

24 Nulla est conclusio affirmativa in secunda figura.

25 Nulla est conclusio universalis in tertia figura.

26 In prima figura, ex causis effectus: in secunda, ex effectibus causæ colliguntur.

27 Majus extremum nunc jungitur, nunc disjungitur à medio.

28 Majus minori nunc superius, nunc inferius, nunquam aut rarò æquale.

29 Majus & minus extremum nunquam ante conclusionem junguntur.

30 Medium est extremorum quasi mensura.

31 Medium in affirmativis, utrique extremo congruit.

32 In negativis alteri jungitur, & removetur ab altero.

33 Medium igitur in affirmativis primæ figuræ debet esse vox inter majus & minus extremum media: in negativis minore superior.

34 Medium in secunda figura debet esse vox superior eo, cui affirmative jungitur.

35 Medium ubique in tertia inferius est minore, & majore etiam quoties ab eo non disjungitur.

36 Medium non fit ex voce dissentanea utrique extremo.

37 Medium sæpissime superius est subjecto conclusionis.

38 Medium pressius non impedit consequutionem.

39 Medium ex locis omnibus petitur.

40 Medium est causa, quòd prædicatum conclusionis subjecto insit, vel non insit.

41 Ex medio pendet cujusque argumentationis vis & energia.

42 Syllogismus affirmativus ad probandum, negativus ad infirmandum est aptior.

43 Bonus est syllogismus, ex cujus intentionis contradicentia, cum altera præmissarum infertur alterius contradicentia.

44 Omnis ſyllogiſmus rectè diſpoſitus, firma eſt argumentatio.

45 Malus eſt ſyllogiſmus ubi fuerint quatuor aut plures termini.

46 Malus itidem, ſi plus ſit ſub ſubjecto minoris in prima figura (ut dictum eſt) quàm ſub ſubjecto majoris continebatur.

47 Denique malus eſt, ubi vox ulla homonymè capitur.

48 Amphibologia ubique, ſed in ſyllogiſmis maximè, vitanda eſt.

49 Nullus eſt ſyllogiſmus ex ſolis negativis.

50 Nullus eſt omnino ex ſolis particularibus.

51 Si tantùm in materia peccetur, non impedit ſyllogiſmi conſecutionem.

52 Ubi medii aut extremorum diſpoſitio non ſervatur, vocatur paralogiſmus, ſive obratiocinatio; cujus ſequelam inficiari licet.

Prædictarum regularum expoſitio.

1 MAjor magis pollet, nam in ſe continet concluſionem: ut, Omnis virtus eſt laudabilis, Omnis juſtitia eſt virtus: ergò, Omnis juſtitia eſt laudabilis.

2 Concluſio ſub majore intelligitur. Itaque major cauſa eſt concluſionis, ut docet ſecunda regula.

3 Aptè convenit lex majori: ut, Poteſt quiſque vim vi repellere, Milo occîdit Clodium, vim vi pellendo: ergò jure fecit.

4 Theſis, generalis & infinita eſt ſententia. Hypotheſis, finita, atque aptior concluſioni, quòd ſyllogiſmus à communiori ad anguſtius deſcendit.

5 Major univerſalis eſt in prima & ſecunda figura, ut ex modis liquet.

6 Major

6 Major minùs poller in tertia figura, quantum ad quantitatem, quia particularis eſt, ſed non ad inferendam concluſionem.

7 Subjectum minoris in prima figura, inferius eſt, ad ſubjectum majoris: ut, Juſtitia ad virtutem, in ſuperiori exemplo.

8 Minor affirmatur in quatuor perfectis, eſt enim aut A, aut I.

9 Minor nunquam negatur in tertia figura: quæ regula multos ſolvit paralogiſmos.

10 Quamvis aliquando minor juxta quantitatem æquat vel ſuperat majorem, minùs tamen propriè probat concluſionem.

11 Ad veras præmiſſas nõ poteſt ſequi falſa concluſio.

12 Præmiſſæ probant concluſionem, non probantur, quatenus ſunt præmiſſæ.

13 Concluſio contrà nihil infert, ſed infertur.

14 Concluſioni propter præmiſſas creditur: minùs igitur, quàm præmiſſæ ipſæ, meretur fidem.

15 Concluſio ex extremis conflatur, quæ rarò æquantur.

16. 17. Sequitur concluſio deteriorem partem, hoc eſt, potiùs negationem quàm affirmationem, & particularitatem quàm univerſalitatem.

18. 19. Nunquam univerſalis eſt, nec affirmativa, niſi utraque præmiſſa ſit talis.

20 Concluſio affirmativa ad confirmandum, hoc eſt, ad aſſerendum aliquid: Negativa ad infirmandum, hoc eſt, negativè concludendum, eſt aptior.

21 Concluſione falsâ, falſa eſt altera præmiſſarum.

22 Minus continet concluſio quàm præmiſſæ: quia ſyllogiſmus eſt quaſi deſcenſus, quod dictum eſt.

23 Concedẽda eſt concluſio, quia ſyllogiſmus eſt argumentario perfecta, neceſſariò inferens cõſequens.

24. 25. Conſule modos.

26 Omne leve aſcendit, Omnis ignis eſt levis: ergò

omnis ignis aſcendit. Aſcendere affectus eſt levitatis. Nullum grave aſcendit, omnis ignis aſcendit, ergò nullus ignis eſt gravis.

27 Majus extremum nunc jungitur medio, hoc eſt, affirmativè nectitur, nunc disjungitur à medio, hoc eſt, negativè ſeparatur.

28 Extrema rarò ſunt convertibilia.

29 Nunquam invicem occurrunt, niſi in conſequente.

30 Per medium deprehenditur extremorum cognatio.

31 Nam in affirmativis utrique extremo convenit, & affirmativè jungitur.

32 In negativis ſemper disjungitur ab altero.

33 Medium igitur in affirmativis primæ figuræ debet eſſe nomen inter extrema medium, in negativis minore ſuperius, ſi ſyllogiſmus in eadem prædicamentali linea fiat: ut, homo, animal, ſubſtantia. Non poteſt homo, nec ſubſtantia medium eſſe, ſi verus ſit ſyllogiſmus.

34 Medium in ſecunda figura (ubi nullus eſt modus affirmativus) uni tantùm extremo jungitur, & ſuperior eſt eo: ut ſi ex his vocibus fieret ſyllogiſmus, vitium, juſtitia, virtus: nec juſtitia, nec vitium, ſed virtus fieret medium.

35 Contrà, ſi in tertia ex iiſdem fieret ſyllogiſmus non virtus, ſed juſtitia medium eſſet.

36 Medium nunquam disjungitur utrique extremo.

37 Medium ſæpe eſt ſuperius minore.

38 Medium ſæpius impedit concluſionem, cùm largè, quàm cùm ſtrictè ſumitur.

43 Bonus eſt ſyllogiſmus ex cujus contradicentia concluſionis cum majore, ſumitur minoris contradicentia: vel quando majoris contradicentia colligitur ex contradicentia concluſionis cum minore.

46 Malus eſt ſyllogiſmus, quando minus extremum ſit majori ſuperius.

47.48 Æquivocatio & amphibolia rejiciuntur à dialectica.

51 Sequi-

51 Sequitur conſequentia, etiam ſi materia falſa ſit: ut, Omnis lapis creſcit, ferrũ eſt lapis, ergò ferrum creſcit.

52 Contrà, ſi forma ſyllogiſmi non ſervetur, paralogiſmus fit, etiam ſi in materia nihil peccetur: ut, Rex eſt homo, Omnis rex induit diadema: ergò, Omnis homo induit diadema.

Nihil eſt præterea in his regulis, quod magnopere expoſitione egeat. Quædam quæ per ſe ſatis manifeſta ſunt, prudens prætereo.

De regulis ſyllogiſmorum.

1 *Maxima vis eſt in majore, quia continet in ſe ipſam concluſionem.*

2 *Extra cauſam, id eſt, ut ſubjectum minoris in prima figura, contineatur ſub ſubjecto majoris.*

3 *In majore collocanda ſunt Gnome, &c. quia ſyllogiſmus ſemper deſcendit ab univerſalibus ad minùs univerſalia.*

Gnome, eſt generalis ſententia.

Lex eſt legis ſententia: ut, Licet vim vi pellere.

Locus communis loca topica ſunt: ut, Quod efficit tale id magis eſt tale.

Apophthegma eſt ſententia brevis & acuta.

4 *Theſis eſt ſententia generalis & infinita.*

Hypotheſis, particularis & finita.

Regula.

Theſis convenit majori, hypotheſis concluſioni: quia major propoſitio ſemper plura in ſe continet, quàm concluſio.

6 *Major habet minus virium in Diſamis & Bocardo, quatenus ad quantitatem propoſitionum, non quatenus ad rationem inferendæ concluſionis.*

12 *Præmiſſæ probant, & non probantur à concluſione, quatenus ſunt præmiſſæ.*

14 *Concluſioni minùs creditur, quàm præmiſſis; quia præmiſſis per ſe concluſioni gratiâ præmiſſarum creditur.*

15 *Concluſio rariùs ex convertibilibus conflatur: quia majus extremum ſæpiſſimè ſuperius eſt minore extremo. Sed ſi conſtet ex majore & minore extremo, quæ ſunt termini*

convertibiles, nihil ferè aliud est nisi petitio principii: nam quicquid probatur, probatur ex prioribus & notioribus.

16 *Conclusio sequitur deteriorem partem: quia si altera præmissarum sit negativa, conclusio erit negativa; si altera præmissarum sit particularis, conclusio erit particularis.*

27 *Majus extremum jungitur cum medio affirmativè, disjungitur à medio negativè.*

29 *Majus & minus extremum, &c. quia conclusio constat ex majore & minore. Extremum cum extremo conjungitur, quando conclusio est affirmativa, disjungitur, quando conclusio est negativa.*

30 *Medium est extremorum quasi mensura, id est, cognitio extremorum dependet ex medio. Nam in affirmativis utrique extremo congruit: in negativis disjungitur ab altero, & conjungitur cum altero.*

33 *Medium in Barbara & Darii, superius est subjecto conclusionis, & inferius prædicato. In Celarent & Ferio debet esse vox superior subjecto conclusionis & repugnans prædicato.*

35 *Medium in omnibus modis affirmativis tertiæ figuræ, semper est inferius tam subjecto quàm prædicato conclusionis.*

36 *Medium non sit ex voce dissentanea utriq; extremo, quia nullus syllogismus secundum modum fit ex solis negativis.*

38 *Medium pressius non impedit conclusionem, id est, medium sæpius impedit, cur conclusio rectè sequatur, cùm largiùs, quàm cùm strictiùs sumatur.*

39 *Medium petitur ex omnibus locis: quia medium dicitur argumentum, omne autem argumentum petitur ex aliquo loco.*

43 *Bonus est syllogismus, &c. id est, reductio per impossibile est, cùm ex contradicentia conclusionis cum altera præmissarum colligitur alterius præmissæ contradicentia, vel contrarium: de quo dictum est priùs.*

44 *Omnis syllogismus, si rectè disponitur secundum modum & figuram, firma est argumentatio.*

Malus

45 *Malus est syllogismus si fuerint quatuor termini, aut plures: quia tres solummodo figuræ sunt, & tres termini, ex quibus omnis syllogismus constat, tribus modis disponuntur.*

47 *Malus est syllogismus, ubi aliqua vox sit æquivoca.*

48 *Amphibologia est, ubi aliqua propositio diversis modis sumi potest.*

Regula.

Æquivocatio cernitur in vocibus: amphibologia in propositionibus.

49 *Syllogismus nullus potest constare ex solis negativis secundum modum, sed secundum figuram.*

51 *Si propositiones falsæ sint, non sequitur ut conclusio sit falsa. Nam syllogismus denominatur ex forma non ex materia, & ex falsis verum potest sequi.*

52 *Obratiocinatio est malus syllogismus, peccans formâ semper, non verò materiâ.*

RAtio consequutionis syllogismorum est, quòd in præmissis duo extrema sic in medio junguntur, ut in conclusione eadem eodem modo inter se conjungi sit necesse: ut, SETON.

Bar- Quodque pulchrum est difficile,
ba- Quæque scientia est pulchra: ergò, } *Pulchrum.*
ra. Quæque scientia est difficilis.

Quæcunque enim in eodem tertio conveniunt, eadem inter se quoque conveniunt.

Similiter cùm duo termini in medio disjunguntur, illi inter se in conclusione disjunguntur: ut,

Ca- Omnis prudens est temperans,
me- Nullus voluptuarius est temperans: ergò, } *Temperans.*
stres. Nullus voluptuarius est prudens.

Difficile & scientia junguntur affirmativè, in eo quod est esse pulchrum: junguntur in conclusione etiam inter se affirmativé. Quæcunque enim eodem tertio conveniunt, eadem inter se quoq; conveniunt.

Nam tertium quod medium vocamus, illud est quod duobus combinationem,& velut cognationem quandam addit:ut,si qui duo unum aliquem habeant,qui utrique sit conterraneus,illi ipsi inter se sunt conterranei: & quicunque eundem habent fratrem, illi fratres sunt invicem, & ità in reliquis,ubi mutua & reciproca est nomenclatura, alioqui non sequetur. Nam ei qui mihi pater est,non sum ego illi pater,ut frater sum illi qui est mihi frater;quia nomenclatura, in talibus non est reciproca.Exemplum eorum quæ disjunguntur in conclusione quòd in medio non conveniunt:Nullum nativum est laudabile,Omnis virtus est laudabilis,ergò nulla virtus est nativa. Virtus & laudabile conveniunt,hoc est,affirmativè junguntur: sed virtus & nativum non congruunt,hoc est, disjunguntur negativè, ergò in conclusione virtus & nativum necessariò negativè disjunguntur: Præterea apud oratores & poëtas nonnunquam invertitur ordo & dispositio syllogismi. Illi enim conclusionem nunc primo, nunc secundo loco inferunt, ac propositiones quandoque præpostero ordine pro arbitrio, & commoditate suâ collocant: quam rem nemo citiùs dialectico prospiciet. Valla contendit hunc syllogismum rectè disponi.

Socrates est homo,
Omnis homo est animal: ergò, } *Homo.*
Socrates est animal.

Et hunc apud Senecam.

Omne peccatum est actio,
Omnis actio est voluntaria: ergò, } *Actio.*
Omne peccatum est voluntarium.

Hi syllogismi, transmutatis propositionibus, eam ipsam habent dispositionem, quam nobis commendat Aristoteles, quæ profectò ducem naturam magis sequitur.

De ratione consequutionis syllogismorum.

Si majus & minus extremum conjunguntur in medio, conjunguntur in conclusione: sin disjunguntur in medio, disjunguntur in conclusione: ut, CARTER.

Da- Omnis virtus est laudabilis,
ri- Justitia est virtus: ergò,
j. Justitia est laudabilis.

Quia justitia & laudabilis junguntur cum virtute, conjunguntur inter se in conclusione.

Regula.

Tertium dicitur argumentum, sive medium, quia tota vis argumentationis dependet ex medio: & quæcunque in eodem tertio conveniunt, id est, in eodem medio, conveniunt quoque in conclusione.

De duplici syllogismorum ductu.

SYllogismus duplicem habet ductum: rectum, ut cùm recto gradu procedit: & obliquum, cùm reflexo ordine ad scopum pervenitur. De priore satis disseruimus. Obliquo utimur, cùm aliquod manifestè verum negatur, ut in hoc exemplo: SETON.

Bar- Omnis virtus ornat philosophum,
ba- Omnis patientia est virtus: ergò,
ra. Omnis patientia ornat philosophum.

In hoc syllogismo, si quis omnia præter intentionem asserat, sic per obliquum ductum insurgemus:

Bo- Quædam patientia non ornat philosophum,
car Omnis patientia est virtus: ergò,
do. Quædam virtus non ornat philosophum.

Conclusio

Concluſio hæc eſt falſa, ergò altera præmiſſarum unde eſt inducta: at non minor, quæ antè eſt conceſſa: ergò major, nimirum, Quædam patientia non ornat philoſophum: quare ejus contradictio ex neceſſitate eſt vera, ſcilicet, Omnis patientia ornat philoſophum. Hîc vides quomodo antagoniſta ad palinodiam, vel invitus impellatur: Hoc enim axiôma, Omnis patientia ornat philoſophum, in priori ſyllogiſmo erat negatum, quod tamen ab eodem poſtea conceditur. Ex iis quæ diximus colligere licet, ex veris falſum non poſſe induci.

Ex falſis falſum verúmq; aliquando ſequetur: Ex veris poſſint nil niſi vera ſequi.

SYllogiſmus, quemadmodum cæteræ ſpecies conſequentiæ, duplicem habet ductum, unum directum, ut cùm propoſito aliquo, velut rectâ viâ, colligimus id quod probare cupimus, ut videre eſt in ſyllogiſmis à nobis ſuperiùs adductis: alterum obliquum, cùm non recto ſed retrogrado quodam ordine, ad id quod cupimus, pervenimus. Illum vulgò ſyllogiſmũ oſtenſivum, hunc ſyllogiſmum ducentem ad impoſſibile appellant. In quo accipere oportet illius negati contradictionem pro una præmiſſarum ſyllogiſmi, deinde alteram aliquam propoſitionem priùs conceſſam, aut manifeſtè veram: ex his præmiſſis (ut neceſſe eſt) ſequetur concluſio falſa. Recurrendum ergò ad præmiſſas unde inducta eſt concluſio, quarum altera neceſſariò erit falſa: non illa priùs conceſſa, aut manifeſtè vera, at altera. Igitur ejus contradictio eſt vera, quæ in priori ſyllogiſmo fuit propoſitio negata, quam confirmare nitebamur. Sumus igitur jam voti compotes, habemúſque

quod

quod conabamur. Paratum est (inquit Agricola) quamlibet argumentationem utrovis horum ductuum explicare. Verum acriùs & instantiùs urgere videtur obliquus; alter paulò mitiùs & leviùs. Directus itaque monenti, obliquus exprobranti est similior. Prior adversum securum & intrepidum adversarium est aptior. Posterior contra solicitum & tergiversantem, cui nihil non suspectum proponitur. Ille ad docendum dicendúmque magìs accommodus, hîc ad refellendum. Denique animadvertendum ex his quæ diximus, non posse fieri ut ex veris falsum ullo modo unquam sequatur, ut patet ex carmine.

CARTER

De duplici syllogismorum ductu priùs dictum est.

De Rhetorico syllogismo.

SETON.

RHetoricus syllogismus nihil à prædicto syllogismo distat, nisi quia plures habet propositiones. Sumamus exemplum à Cicerone. Meliùs accurantur, quæ consilio geruntur, quàm quæ sine consilio administrantur. *Propositio.*

Domus ea quæ ratione regitur, omnibus instructior est rebus, quàm ea quæ temerè & nullo consilio administratur: rursum, navis optimè cursum conficit ea, quæ scientissimo gubernatore utitur: eadem est exercitus, & cæterorum ratio. *Ratio.*

Nihil autem omnium rerum melius consilio, quo omnis mundus administratur. *Assumptio.*

Nam & signorum ortus obitúsque definitum quendam ordinem servant, ac dierum noctiúmque vicissitudines immutatæ perstant, &c. *Assumptionis probatio.*

Consilio

Complexio. Consilio igitur mundus administratur.

RHetoricum syllogismum Cicero ratiocinium, Fabius epicherema vocat. Epicherematos (ut ait Quintilianus) & quatuor, & quinque, & sex factæ sunt partes à quibusdam. Cicero maximè quinque defendit, ut fit propositio, deinde ratio ejus, tum assumptio, & ejus approbatio, quinta, complexio: quia verò interim & propositio non eget ratione, & assumptio probatione, nonnunquam etiam complexione non sit opus; quadripartitam, & bipartitam quoque fieri posse ratiocinationem. Mihi, & pluribus nihilominus authoribus tres ad summum videntur, hæc ille. Superius exemplum è Cicerone ad Herennium decerpitur, in quo loco Aristotelis, & Theophrasti authoritatem allegat, à quibus hunc syllogismum maximè frequentatum asserit. Unde magis miror, Rodolphum sequutum Boëthium & Quintilianum, tantùm tres partes numerare, rationem & approbationem novas argumentationes appellare: sed quoniam de re conveniunt, de verbis minùs refert. Fatentur omnes quinque illa prædicta pronuntiata plerunque poni solere in hoc syllogismo; quæ omnia pro partibus computant hi, qui quinque partium esse volunt. Qui verò epicherema in tres tantùm partes distribuunt, pro prima, propositionem & suam rationem: assumptionem & ejus approbationem pro secunda: denique complexionem pro tertia supputant.

De syllogismo Rhetorico.

CARTER. Rhetoricus syllogis. ex quinque partibus constat.

Propositione,
Ratione,
Assumptione,
Assumptionis probatione,
Complexione.

Propo-

Propositio est, per quam breviter locus ille exponitur, ex quo tota vis argumentationis dependet.

Ratio est per quam id quod breviter expositum est, rationibus affirmatum probabilius & apertius fit.

Assumptio est, per quam id assumitur quod ex propositione ad ostendendum pertinet.

Assumptionis probatio est, per quam id quod assumptum est, rationibus confirmatur.

Complexio est, per quam id quod conficitur ex omni argumentatione, breviter exponitur.

Sorites.

SOrites est consequentia, quæ ab uno con- SETON.
cesso ad alia conjuncta assurgit. Philosophus ejus formam expressit in prædicamentis, hoc modo:

Homo est animal,
Animal est vivens,
Vivens est substantia: ergò,
Homo est substantia.

Hujus quoque consequutionis ratio à communi sensu est petita. Quando enim alterum de altero prædicatur, ut de subjecto, quæcunque de prædicato dicuntur, ea omnia de subjecto primo dicuntur, ut apud eundem habetur. Redigitur in syllogismum, si prædicatum prædicato, & subjectum subjecto subjicias, in hunc modum.

Bar- Omne animal est vivens,
ba- Omnis homo est animal: ergò,
ra. Omnis homo est vivens.

SOritem gradationi similem, in syllogismum refe- runt eruditiores. Captiosum est argumentationis

nis genus, à Chryſippo Stoico inventum, quod ab uno conceſſo ad alia conjuncta aſſurgit: vulgò dialectici, à primo ad ultimum appellant. Alii, ut vox ſonat, coacervationem, ſive acervalem argumentationem, dicunt. Tantùm animadvertendum eſt, ut illa omnia, quæ in coacervationem inducuntur, his neceſſariò cohæreant, quibus tribuuntur, nè tranſitus nos aliquando fallat: ut, Qui dormit, non videt, qui non videt cæcus eſt: ergò qui dormit, cæcus eſt. Hactenus de ſyllogiſmo communi.

DE SORITE.

CARTER. *Sorites eſt argumentatio, quâ gradibus quibuſdam ad concluſionem pervenitur.: ut,*

Juſtitia eſt virtus,
Virtus eſt habitus,
Habitus eſt qualitas: ergo,
Juſtitia eſt qualitas.

Regula.

Redigitur in ſyllogiſmum, ſi prædicatum prædicato, & ſubjectum ſubjecto ſubjicias, mutatâ tamen propoſitione minore in locum majoris: ut.

Da- Omnis virtus eſt habitus,
ri- Juſtitia eſt virtus: ergò,
i. Juſtitia eſt habitus.

Cautiones duæ.

Sorites non ſequitur, ſi procedat ab uno prædicamento in aliud prædicamentum: vel à rebus ad voces artium: vel effectus ex cauſis remotis & non propriis collectus arguitur: ut,

Quicunque labori eſt deditus, is divitiis abundat:
Qui divitiis abundat, ſplendidè vivit:
Qui ſplendidè vivit, ſit libidinoſus: ergò,
Qui labori eſt deditus ſit libidinoſus.

Cautio. 2.

Argumentum in Sorite non ſequitur negativè, ſed affirmativè: ut,

Dialectica

Dialectica non eſt muſica,
Muſica non eſt diſſerendi facultas: ergò,
Dialectica non eſt diſſerendi facultas.

Syllogiſmus expoſitorius.

SYllogiſmum expoſitorium aiunt eſſe, cujus medium eſt ſingulare: talis autem tertiæ figuræ peculiaris dicitur, quòd medium bis ſubjicitur, & ejus formam præcipuè refert. SETON.

Exemplum affirmativi.

Diogenes fuit pauper,
Diogenes fuit philoſophus: ergò, } Diogenes.
Quidam philoſophus fuit pauper

Ratio hujus ſequelæ, hæc eſt, Quæcunque uni conveniunt, illa inter ſe quoque conjuncta conveniunt.

Exemplum negativi.

Virgilius non eſt laſcivus,
Virgilius eſt poëta: ergò, } Virgilius.
Aliquis poëta non eſt laſcivus.

Hujus ratio eſt, Quando aliquid removetur ab aliquo, removetur & ab his quæ illi ſunt conjuncta.

REfert hic ſyllogiſmus aliqua ex parte tertiæ figuræ formam, non quòd propriè in ullo modo conflatur, ſed quia huic, quàm aliis, eſt ſimilior. In hoc ex ſingularibus communis ſententia aptè colligitur. Hujuſmodi ſyllogiſmum ideo vocat philoſophus expoſitionem, quòd communes propoſitiones frequenter explicat, & exponit: quandoquidem ſi quis dubitet, num liceat concionatoribus allegare ethnicos, necne, ſic probari poteſt.

Paulus

Paulus licitè allegabat ethnicos,
Paulus fuit concionator: ergò, } *Paulus.*
Concionatori licet allegare ethnicos.

Si concluſio hæc rectè ad præmiſſas ſequitur, neceſſe eſt eandem ad communes ſequi. Nam cùm ad præmiſſas communes ſequuntur ſingulares, quicquid ex ſingularibus rectè inferri poteſt, id à fortiori ex communibus rectè colligetur. Quicquid enim ſequitur ad concluſionem bonæ conſequentiæ, id ad antecedens ejuſdem non poteſt non ſequi. Frequenter probantur communes ſyllogiſmi per expoſitiones, & ad eos reducuntur, non tanquam ad perfectiores, ſed magis perſpicuos, idque potiſſimùm in tertia figura, in hunc modum:

Di- *Caſtigatio eſt utilis,*
ſa- *Omnis caſtigatio eſt ſupplicium: ergò,*
mis. *Quoddam ſupplicium eſt utile.*

Major ſi cui videatur eſſe incerta, probabitur per hanc ſingularem. Caſtigatio Catilinæ eſt utilis. Minor etiam licèt non ſatis exactè probetur, cùm ſit univerſalis, tamen per hanc ſubjectam ſingularem fit multò clarior, & apertior, videlicet, Caſtigatio Catilinæ eſt ſupplicium, & prorſus eadem concluſio ex utriuſque ſyllogiſmi præmiſſis colligitur: nimirum, Quoddam ſupplicium eſt utile, ut eſt videre.

Caſtigatio Catilinæ eſt utilis,
Caſtigatio Catilinæ eſt ſupplicium: ergò, } *Caſtigatio.*
Quoddam ſupplicium eſt utile.

Expoſitoria igitur ratiocinatio quaſi prima argumentandi via habetur, rhetoribus multò frequentiſſima. Nam cùm omnis humana cognitio ex ſenſibus oriatur, ſenſus autem ſingularia, & non communia comprehendant, ex his mens communes ſententias, & rerum cauſas colliget: quæ licèt ſint percipientibus certiores, ſunt tamen primò intuenti minùs perſpicuæ, quàm ſingulares. Poſtremò cavendum eſt

in

in his syllogismis, nè minor propositio sit unquam negativa, id quod suprà de reliquis tertiæ figuræ admonuimus.

De expositorio syllogismo.

Dicitur expositorius syllogismus, quia declarat universales propositiones veras esse vel falsas, per singulares. CARTER.

Regula.

Argumenta sumuntur tam affirmativè quàm negativè, ex syllogismo expositorio: ut,

Cicero fuit sapiens,
Cicero fuit dives: ergò,
Aliquis sapiens fuit dives.

Ratio hujus consecutionis est hæc, Si major & minor extremitas affirmativè conveniunt in medio, conveniunt quoque in conclusione, si verò negativè disjunguntur, disjunguntur in conclusione.

Usus expositorii syllogismi frequens est, quia cognitio rerum universalium oritur à singularibus.

De Inductione.

INductio est argumentatio à pluribus singularibus ad universale: vel à partibus ad totum progressio.

Exemplum de speciebus. SETON.

Ebrietas puerum ducit in perniciem: mendacium ducit puerum in perniciem: furtum idem agit: perjurium idem: similiter faciunt libido & otium: nec in cæteris est contrarium videre: ergò, Omne vitium ducit puerum in perniciem.

A partibus.

Plebs Romana optimè de Milone sentit, e-

queſter ordo optimè ſentit, ſenatus optimè ſentit: ergò, totus populus Romanus optimè de Milone ſentit.

Dicitur inductio inverſus ſyllogiſmus, quia ſicut in ſyllogiſmo ab univerſali deſcendit, ità è contrario in inductione à ſingulari inchoatur, & aſcendit argumentatio. Hanc viam docuit nos natura paulatim inductione ex multis ſingularibus univerſale colligendi. In hac ſummopere notanda eſt ſingularium ſimilitudo, ſine qua nemo rectè valet inducere. Demum in epagogis cavendum eſt, nè diverſum aliquid inter ſingularia quæ non exprimuntur, appareat: quando non rectè colliges,

Frugifera eſt ceraſus, nux, prunus, vitis, & ilex:
Ergò, facit fructus arboris omne genus.

Antecedens in epagoge eſt, quod ſingularium coacervatione conſtat: conſequens verò, univerſale ex ſingularibus, vel totum ex partibus collectum. Per inductionem utcunque probari poſſunt ſcientiarum principia, quæ nullo modo demonſtrari queant.

INductio dicitur ab Agricola Enumeratio, quæ modus quidam eſt, quo univerſale conſtituitur cognoſcitúrque. Univerſale, notio quædam eſt in ſingularibus reperta, indéque in intellectu coacervata, & retenta. Principia & cauſæ cognoſcendi ſingularia, ſunt ipſi ſenſus, univerſale autem mentis opus eſt: ab eo enim effingitur, ſicut cauſæ quæque: mentis enim proprium eſt

est unire & cogere, quæ paulatim ex sensibus collegit. Animæ quoque acrimonia est, ut, etiam si genera, quæ accidunt sensibus, continenter labuntur & fluunt, tamen similitudines eorum accipere & memoria continere possit. Quare ad quendam modum. universale sensu percipitur, non quidem seorsum à singulari, at obiter subindéque, ut apud Themistium habetur. Ex his duobus cognoscendis, syllogismo, & inductione, non aliter quàm ex locis inventio, constat altera pars dialectices, quam Græci *Criticen*, id est, judicium dicunt. Rectè Aristoteles syllogismum firmiorem esse dixit, sed inductionem magis obviam, & in conspectu omnibus positam, quod sensus sequatur: hæc suadet apertissimè, ille vel nolentes trahit: hæc indoctis, ille eruditis est aptior. Denique sine iis nihil propriè condiscitur, si authoribus credamus. Inductio appellatur Socratica, propterea quòd eâ Socrates creberrimè usus est, idque ferè nunquam sine magna interrogationum congerie: ut, An non pomum generosissimum, quod est optimum? An non & qui optimus equus generosissimus erit? quid piscis? ager? pratum? an non similiter per omnia sese habent? quæ si fatearis, tandem ex prolixa inductione propositum suum tibi inexpectatissimum inferet, hoc modo: quid ni igitur optimus homo, erit & generosissimus? In his igitur labi, & decipi aliquando, minor est culpa, quàm in cæteris ratiociniis: quòd difficilius sit latentem scopum in nuda interrogatione deprehendere, quàm si integra proponeretur argumentatio. Nam subitò in inductione, & quasi ex insperato irretitur propugnator, nisi innumera simul animo verset ac prospiciat. Addunt Sophistæ in antecedente. [Ità de reliquis] nè inter partes diversum aliquid, & dissimile appareat: authores non tam exprimunt, quàm intelligunt. Rhetores rogant adversarium, ut ille dicat si possit, ubi diversum reperiatur, ut ex ejus imperitia convincant. Possunt qui vo-

lunt, inductiones elegantiores ex Platone & Cicerone colligere.

CARTER.

De Inductione.

Inductio, { *Rhetorica, non ex necessitate* / *Dialectica, ex necessitate* } *concludit.*

Exemplum rhetoricæ inductionis.

Rhetorica inductio est, ut, si in manu, brachio, pede, aliisque corporis partibus, acceptum insanabile vulnus rescinditur, nè pars sincera trahatur: ergò, & in capite vulnus insanabile acceptum eodem modo curari debet.

Dialectica inductio quid.

Dialectica inductio est progressio à minùs communibus ad magis commune, tam affirmativè quàm negativè: vt, Iste ignis est calidus, & ille ignis est calidus, nec in cæteris est contrarium videre: ergò, omnis ignis est calidus.

Officium utentis inductione quod.

Si aliquibus singularibus enumeratis, respondens non concedat consecutionem, cùm adjecerimus, Nec in cæteris est contrarium videre; petendum est à respondente, ut instantiam afferat, in quo singulare non est verum. Si non potest, concedenda est conclusio.

Inductionis duæ partes: { *Antecedens.* / *Consequens.* }

Antecedens in inductione est coacervatio rerum singularium. Consequens est generalis propositio ex rebus singulis collecta.

Quando utendum est inductione.

Utendum est inductione, cùm argumentum sive medium non occurrit, quod aptè confici potest in aliquo syllogismo: & utendum est inter indoctos potiùs quàm doctos.

Quando

Quando inductio ſequitur.

Similitudo ſingularium cauſa eſt cur ſequatur, diſſimilitudo verò cur non ſequatur.

Principia ſcientiarum poſſunt aliquo modo probari, non autem demonſtrari per inductionem: poſſunt probari, non autem per ea quæ ſunt notiora naturâ, aut magis univerſalia, (nam nihil eſt notius primis principiis) ſed per ea quæ ſunt notiora nobis: ut, ſi probarem quòd omne genus prædicatur de pluribus ſpeciebus, ſic probatur; Animal prædicatur de pluribus ſpeciebus: Nec in cæteris generibus eſt contrarium videre: ergò, omne genus prædicatur de pluribus ſpeciebus.

Prima principia non poſſunt demonſtrari; quia primis principiis nihil eſt prius, omnis autem demonſtratio propriè eſt per priora & notiora naturâ.

Principia quot modis cognoſcuntur.

Principia quatuor modis cognoſcuntur.
- *Uſu.*
- *Experientiâ.*
- *Inductione.*
- *Intellectu.*

Enthymema.

ENthymema eſt imperfectus ſyllogiſmus alteram tantùm præmiſſam concluſioni connectens. Vel eſt oratio, in qua, non omnibus propoſitis feſtinata infertur concluſio: quandoque majorem cum themate, quandoque minorem complectitur: ut, Temeritas eſt vitium, ergò temeritas eſt fugienda. Deeſt major, ſcilicet, Omne vitium eſt fugiendum. SETON.

Nulla ſcientia ſine uſu paratur, igitur nec dialectica ſine uſu paratur. Deeſt minor, Dialectica eſt ſcientia.

Si in antecedente & conſequente idem ſit ſubjectum, deeſt major: ſin prædicatum ſit in utroque idem, minor deſideratur.

Prior enthymematis pars antecedens, poſterior verò conſequens appellatur.

Ariſtoteles ait eſſe ex probabilibus & ſignis, imperfectum ſyllogiſmum: ſignum interpretantur quidam, neceſſarium.

Neceſſarium eſt, quod aliter ſe habere nequit: ut, Si cui quid addas, totum majus efficitur.

Probabile dicitur, quod omnibus, plurimis, vel ſapientibus; vel iiſdem omnibus aut pluribus, aut præcipuis videtur: ut, Omnis mater filium diligit.

Probabile eſt enthymema, quando utraque ejus pars eſt probabilis.

Enthymema autem, ſi quando validum & efficax ſit, ex ipſa re magis, quàm ex ſua forma fidem facit: ut, Nullam colis virtutem, ergò nec juſtitiam colis. Hæc arbor fructum fert, ergò floruit.

IN Enthymemate vel major vel minor tacetur: nec magni negotii res eſt, utra deſit perſpicere, ut prænonſtratum eſt. Duplici autem nomine potiſſimùm diſſimulatur altera præmiſſarum: aliàs brevitatis ſtudio, cùm aperta & omnibus obvia ſit illa omittenda ſententia, ut apud Ciceronem pro Milone, Omnis inſidiator eſt jure occidendus, ergò Clodius eſt licitè interfectus, aliàs cùm infirma videtur præterita illa propoſitio, ut melius ſit eam tacitè de induſtria præterire, quàm

quàm exprimere: ut, Quintus Fabius fuit cunctabundus, ergò bonus imperator. Catilina fuit temerarius, ergò parùm fortis. Omissæ majores parùm sunt firmæ, nimirum, Omnes cunctabundi sunt boni imperatores, &, Temerarii quique sunt parùm strenui. Ità enthymematis vitium facilè se offert, si statim in integrum syllogismum mutabitur, in quo faciliùs deprehenditur, si quod fuerit falsum axôma. Latiùs patet enthymematis nomen apud dialecticos, & omnibus imperfectis syllogismis attribuitur, ut cùm à divisis ad conjuncta proceditur, ut, Aristoteles est eruditus, & Aristoteles est philosophus, ergò Aristoteles est eruditus philosophus. A tertio adjecto (ut loquuntur) ad secundum adjectum: ut, Carbunculus est viridis, ergò carbunculus est. Taurus est robustus, ergò taurus est. Ducuntur ex omnibus locis; verùm maximè perspicua sunt enthymemata, quæ ex pugnantibus ducuntur: ut, Quem alienum fidum invenies, si tu tuis hostis fueris? Amici sunt diligendi, ergò non sunt odio habendi. Omnes novis delectamur, ergò vetera minoris facimus. Virgilius,

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes, &c.

Hinc moti sunt forsitan veteres, ut solis talibus enthymematis appellationem tribuerent. Tullius enim testatur, rhetores enthymemata propriè appellâsse rationes illas, quæ ex contrario ducuntur. Optimè admonet Melanchthon, inversum esse nonnunquam enthymematis ordinem apud oratores, & poëtas, ut cùm prior periodus consequens, posterior antecedens infert: ut, Improbus est, si crudelis. Sæpe etiam pluribus verbis amplificantur ejus partes, ut ab imperitis agnosci nequeant nisi detracto ornatu, & contrà aliquando tam implicitè, succinctè, & citra formam connectuntur, ut ea benè gnarus lector nisi adimadvertat, non aspiciat: ut, Quid facerem cum ebrio? Hoccine est officium patris? qualia innumera ubiq; in omni oratione

ſparguntur. Enthymema ex ipſis aliquando vocibus, nunquam ex forma ſua eſt efficax: quare quoties negetur illius conſequentia, in perfectam argumentationem eſt vertendum.

De Enthymemate.

CARTER. *Enthymema duplex:* { *Rhetoricum.* / *Dialecticum.*

Enthymema rhetoricum ſemper eſt ex contrariis: ut, Nulla ſalus bello, igitur pacem te poſcimus omnes, Turne.

Enthymema quid.

Enthymema eſt imperfectus ſyllogiſmus, ex probabilibus & neceſſariis propoſitionibus.

Regula.

Supprimitur alterum pronuntiatorum in Enthymemate duplici de cauſa; ſcilicet brevitatis causâ & vitio argumentationis: nam ſi ambo exprimerentur, facilè argumentationis vitium deprehendatur.

Enthymema, dicitur feſtinata oratio, quia Enthymema nihil aliud eſt, quàm cogitatio: cogitatione autem nihil eſt velocius.

Neceſſarium duplex, { *Simpliciter.* / *Cum conditione.*

Neceßarium ſimpliciter eſt, quod ſemper ità ſeſe habet: ut, Si æqualia aù æqualibus demantur, neceſſe eſt æqualia remanere.

Neceſſarium cum conditione eſt, quod ſit ſecundum aliquod tempus, vel aliquam aliam circumſtantiam: ut, Dum homo currit, neceſſe eſt eum currere.

Probabile dicitur, quod omnibus, plurimis, vel ſapientibus videtur, &c.

Videri duplex: { *Videri & eſſe.* / *Videri & non eſſe.*

Prior

Prior significatio hujus distinctionis intelligitur in definitione probabilis.

Sapientes in definitione probabilis sumuntur pro his qui in aliqua arte vel facultate excellunt.

Enthymema dicitur efficax, non ex dispositione antecedentis cum consequente, sed ex materia illarum propositionum.

Exemplum.

EXemplum est argumentatio, quâ unum particulare ex alio probatur, propter utriusque similitudinem: ut, Gipsum, aut argilla dum est uda, in quamvis imaginem facilè sequitur fingentis manum: ità rudes animi ad omnem disciplinam sunt idonei. SETON.

Hîc inter argillam & animos, & inter udum & rude similitudo est.

Exemplum non est absimile enthymemati, nisi quòd exemplum aliquanto imbecillior est argumentatio, & magis infirmas habet propositiones: ut, Cæsar non occîdit Ciceronem inimicum suum: ergò, nec occidisset Catonem inimicum.

Nam in exemplis similitudo causa consequutionis existit: itaque quoties in his bona est consequentia, ex materia & pronuntiatorum similitudine potiùs quàm à suâ propria forma robur habebit: ut; Apes per omnia circumvolitans, id quod est utile domum adducit: Ità ergò studiosus ex unoquoque quod ad mores confert excerpit. Satis erit si eâ parte congruunt, cui adhiben-

adhibentur, ſimilitudines. Diſſolvimus exemplum, oſtenſâ partium diſſimilitudine. Nam hoc ratiocinium; Laterenſis fuit accuſatus, quia conſulatum affectavit, ergò Cicero fuit accuſandus, quia conſulatum affectavit, Non valet ob diſſimilitudinem: alter enim per ambitum, alter citra ambitum affectavit. In ſuadendo mirè conducunt, in urgendo parùm habent momenti. Petitur non ſolùm à comparatione, ut pari, majori, minori, ſed etiam è locis ſimilium & diſſimilium.

SYllogiſmum & inductionē præmonuimus eſſe perfectas formas argumentandi: in quibus tantùm rectè poſſit Antecedens negari: At verò in enthymemate & exemplo, tum antecedens, tum conſequutionem licet inficiari. Ariſtoteles vocat Enthymema, rhetoricum ſyllogiſmum; Exemplum, rhetoricam inductionem: nam ad perfectiores referuntur (ut diximus priùs) imperfectiores. Verùm omnis imperfecta inductio non eſt exemplum, nec contrà, licèt ſæpenumero ità contingat. Exemplum eſt enthymemate minùs efficax, & infirmiorem habet ſæpe probationem: ut, Milo miſſus eſt in exilium, quòd Clodium occîdit: ergò Cicero mittendus in exilium, quòd Lentulum occîdit. Talia & tam frigida ratiocinia appellat Cicero plumbeos pugiones. Itaque ob hoc inefficaciſſima forma eſt exemplum, quòd rarò ſunt ſimilitudines adeò conſonæ, & per omnia convenientes, ut non in aliquo appareat diſſimilitudo. His tamen imperfectis argumentandi ſpeciebus uti licet quoties perfectioribus non eſt opus. Si quando negabitur illarum conſequutio, nec valemus ex ſua materia enthymema, nec ex ſimilitudine exem-

exemplum satis confirmare, tum statim ad perfectiores, syllogismum & inductionem (quorum firma semper & efficax est consequentia) confugiemus. Aiunt quidam exemplum esse comparationis speciem: quod quàm sit verum, aliorum esto judicium. Ducitur exemplum à pari: ut, Si fratrem domi alis, cur me ejicis? A majori, Non potuit Romam capere Hannibal: ergò, nec Gothi. A minori, Patres vestri libertatem civium Romanorum imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? A simili, Gagates aquâ infusâ incenditur, oleo restinguitur: ità quidam, quò magis rogas, eò magis frigescunt, si negliges, ultro cupiunt. A dissimili, ut, Hystrix non jaculatur spinas nisi provocatus, at scurra ultro in quemvis sua dicta torquet. A majori, confirmationi; à minori, infirmationi apta sunt argumenta. Huc etiam spectant proverbia, sententiæ apologique, & alia similia; ut, Facilè invenitur baculum, quo canem cedas: ergò potens facilè capiet causam nocendi pauperi. Distat tamen locus ab authoritate, & exemplum: nam in illo, hominis judicio, in hoc similitudine utimur. Qui inductione, vel exemplo sæpe inter disputandum uti velit, crebras apud authores similitudines colligere debet, quarum ingens est copia in parabolis Erasmi. Ut tandem finiam, vitandæ sunt propugnatori falsæ, obscuræ, & incertæ similitudines, quæ (nisi diligenter prospiciat) facilè eum dejicient. Sequuntur ex divisione dilemma, pseudomenos, crocodelites, & violentum; quæ ad prædictas argumentationum species, adjectâ conclusione, reduci possunt.

De exemplo.

CARTES. *Exemplum est quoties unum particulare probatur per alterum, propter simile quod in utroque conspicitur: ut, Si bonum est Græcos cum Trojanis belligerare, bonum quoque est Romanos cum Carthaginensibus armis concertare.*

Regula.

Regula.

Exemplum ſpecies eſt comparationis. Eſt enim vel aliquod majus, vel par, vel minus, quod ad imitandum, vitandumve ſumitur.

Quæſtio.

Exemplum eſt aliquando duorum in duobus, (ut in exemplo Setoni:) quomodo ergò eſt ſpecies comparationis? nam comparatio eſt duorum in uno.

Reſponſ.

Exemplum & comparatio aliquando ſunt duorum in duobus, ſcilicet in duobus proximis, ut in exemplo Setoni. Tamen ſemper eſt duorum in uno tertio, aliquantulum remoto.

Regula.

Exemplum valet, ſi ſimilitudo in qua comparantur, eadem ſit ambobus. Si ſit aliqua diſſimilitudo, non ſequitur argumentatio.

Exemplum ducitur à majore, minore, & pari.

A majore ad minus negativè: ut, Græci non potuerunt funditùs evertere Trojam: ergò, Nec Romani Carthaginem.

A minore ad majus affirmativè ducitur argumentum: ut, Hector potuit interficere perfidum Achillem: ergò, Tota Troja potuit.

A pari argumentum ducitur affirmativè & negativè: ut, Si juſtitia ſit virtus, & fortitudo erit virtus: Et ſi fortitudo non ſit virtus, nec juſtitia erit virtus.

Dilemma.

SETON. Dilemma eſt oratio bicornis, utrinque adverſarium illaqueans: ut, Si duxeris uxorem formoſam, habebis communem: ſin deformem, habebis moleſtam: proinde nulla ducenda eſt.

Medium

Medium facile dabit effugium, si poteris excogitare. Sed aptissima vitiosi dilemmatis dissolutio est Antistrophon, id est, conversio, quæ utrunque cornu in adversarium retorquet. Valdè suadent, quæ nec habent medium, nec facilè reflectuntur.

Pseudomenos, & Crocodelites sunt, in quibus quodcunque elegeris, capieris. Prioris exemplum: ut, An sit mentitus nécne, qui tantùm dixit se mentiri? Si fatearis eum mentitum, non quadrat, quia dicta fides sequitur. Sin neges, itidem contrarium eveniet. Posterioris exemplum. Crocodilus matri raptum filium reposcenti ità respondit, Reddam si verum mihi respondeas: quid ais ergò, reddam, an non? Tum illa, Non reddes (inquit) & ideo reddes, quia verum dixi. Cui ille, Atqui si reddidero, non dixisti verum, & ideo non reddam. Postremò, violentum (quod Græci vocant *Biaion*) est quoties adversarius suâ ratione, quasi proprio gladio jugulatur: ut, Nolo philosophiæ operam dare, quia sum filius regis. Responderi potest, imò hoc magis philosophiæ est tibi insudandum, quòd sis regia proles.

ORiuntur ex divisione, dilemma, pseudomenos, Crocodelites & violentum. Dilemma, cornuta ratio est utrinque respondentem pungens: ut, Si vir bonus, cur vituperas, Sin malus, cur hactenus in amicis habuisti? Quædam retorqueri possunt: ut, Si duxero formosam,

formoſam, erit jucunda: ſin deformem, non erit communis. Poteſt & idem exemplum per medium diſſolvi: ut, Non omnis fœmina formoſa vel deformis eſt: talem ergò mihi deligam, cujus nec deformitas tædium, nec forma zelotypiam parere queat. Efficaciſſima ſunt, quæ nec invertuntur, nec medium habent. Ut, Mentietur in eculeo, qui cruciatus ferre poterit; mentietur itidem qui ferre non poterit: ergò tormenta non exquirunt verum. Pſeudomenos, Mentiens Latinè interpretatur, in quo ſive hoc ſeu illud fatearis, abſurdum ſequetur. Hæc vulgò inſolubilia & ſeſe falſificantia appellantur: nec quicquam aliud dici poteſt, niſi talem in his eſſe hypotheſin, ut quodcunque reſpondeas, contrarium eveniat. Huic admodum ſimilis, eſt Crocodelites, à Crocodilo quodam tyranno nomen retinens, qui matrem ereptum filium repoſcentem, hoc interrogationis genere illuſit. Poterat hîc dixiſſe mulier, tyranno in manu fuiſſe efficere, ut verè aut falsè reſponderet: quemadmodum in apologis de Phœbo legimus. Adiit quidam Apollinem, periculum facturus num omnia præſciret, paſſerem ferens in manu à tergo poſitâ, dic (inquit) Phœbe, animatum an inanimatum in manu proferam? ſi inanimatum dixiſſet, vivum produxiſſet paſſerem: ſin animatum, paſſerem mortuum digitorum compreſſu necatum oſtendiſſet. Phœbus præſcius, vitavit utrunque hoc modo. Penes te eſt (inquit) ô inepte, vivúmne an mortuum velis producere. Violenti frequentiſſimus eſt uſus apud oratores & concionatores. Facilè autem in hoc genere elabitur, qui quod priùs dixit vel novâ ratione corroborare, vel quod contra eum affertur, retorquere valet: ut, Improbus es ô Cato quòd quadragies in jus ſis vocatus. Imò hoc major eſt, inquit, mea integritas, qui toties judicum ſententiis ſum liberatus. Imò tanto es flagitioſior, qui non ſemel judices pecuniâ corrupiſti: & ità uterque inſurgat & inſtet, quoad ejus

fieri

fieri potest. Talia argumenta ad perturbandum magis, quàm ad veritatem investigandam sunt excogitata. Postremo in casu, ut vocant, ubi non tam quid sit, quàm quid esse possit, spectatur, hic servabitur ordo. Postulabit oppugnator, concedi sibi, quod verum non sit, quod positum vocari solet: quo semel concesso, seu secus, usque cavendum est, nè vel huic repugnans fateamur, vel annexum, & consequens negemus. Ad aliena quæ nec repugnant, nec sequuntur, juxta illorum qualitates est respondendum, hoc est, vera concedenda, falsa neganda, & dubia distinguenda.

De dilemmate.

Dilemma est oratio bicornis, ex utraque parte adversarium illaqueans: ut, CARTER.

Quod non perdidisti, illud habes,
At cornua non perdidisti: ergò,
Cornua habes. vel,

Qui totus deditus est contemplationi, inutilis est reipublicæ, & qui literas non cognoscit, is quoque inutilis est: ergò, Omnis homo est inutilis reipublicæ.

Dilemmatis duplex ratio.

Quædam habent } *medium.*
Quædam non habent }

Regula.

Si dilemma habet medium, est vitiosa argumentatio, & dissolvitur per conversionem, retorquendo utramque partem argumentationis in eum qui proponit.

Pseudomenos quid.

Pseudomenos dicitur Mentiens. quia contrarium infertur à proponente, ei quod à respondente statuitur: ut, Gorgias sophista dixit, Omnes sophistas mendaces esse: Estne igitur

igitur ei credendum? Si neges, ad hunc modum confirmatur. Omnis sophista mendax est: ergò, Ei credendum est, quia verum dixit. Sin affirmes, sic refellitur; Mendaci non est credendum: ergò, Nec Gorgiæ sophistæ.

Exemplum Crocodelitis.

An prolaturus sum carmen legitimum? Si aliquis affirmet, proferam carmen falsum: Sin neget, contrario modo faciam.

Biaion, *sive violentum, est argumentandi forma, ad refellendum aptior, quam ad probandum, in qua ex oratione adversarii, non quod ipse vult, sed quod nostras partes confirmat, sequi demonstratur: ut, Nolo æquo jure vivere cum sociis meis, quia me fortuna honoribus auget. Imò tantò magis æquo jure tibi vivendum est, quia eadem ipsa fortuna, inconstans, fragilis, perfida, lubrica est; Nec quos clarissimat, perpetuò fovet; Nec quos deseruit, perpetuò premit, ut inquit Maro.*

LIBER QUARTUS.

De inventione, alterâ parte Dialectices.

Postquam de judicio, quæ videbantur instituto nostro congruentia, diximus: sequitur, ut de inventione, alterâ dialectices parte, paucis differamus.

SETON. DIctum est quid sit definitio, genus, species, & proprium: reliqua solito compendio perstringam.

Totum est, quod in varias sui partes discerpitur: ut, Domus in fundamentum, parietes, & tectum.

Pars, totius quasi membrum, ipsi toti adnexum: ut, Corpori caput.

Conjugata sunt, quæ sub eodem cadunt jugo: ut, Sapiens, sapientia, sapienter.

Adjacens est modus rei inexistens, quo aliquid aliud quàm secundum substantiæ suæ denominationem appellatur: ut, Homini prudentia.

Actus est id, quocunque aliquo modo exerceri afficíque dicimur: ut, dolere.

De subjecto antè diximus.

Causa est, ad quam aliquid sequitur.

Efficiens, ex qua } aliquid
Finis, cujus gratiâ } fit.

Eventum est, quod ex causa sequitur.

Effectum, quod ex efficienti } produ-
Destinatum, quod ex fine } citur.

Tempus & locus, hîc pro prædicamentis quando & ubi, accipiuntur.

Connexa, licèt sint extra rem, eam tamen denominant: ut, Uxor marito.

Contingentia, sunt accidentia quæ contingenter circa rem eveniunt, ut pallor ægrotationi.

Pronuntiata sunt, quæcunque quisquam scripto

ſcripto vel dicto ſignificavit.

Nomen rei, eſt vox ad rem ſignificandam conſenſu hominum deſtinata.

Comparatio eſt, quando duo in uno conferuntur: ut, Furtum eſt capitale: ergò,& mendacium.

Similitudo eſt, ubi duo in duobus referuntur: ut, In naſſam facilis eſt introitus, egreſſus difficilis: ità, in vitia proclive eſt iter, exitus verò non perinde pervius.

Repugnantia continent oppoſita & differentia, de quibus ſatis altero libro eſt dictum.

PRima locorum diviſio eſt in internos & externos. Interni iterum partim ſunt in ſubſtantia, partim circa ſubſtantiam. In ſubſtantia ſunt ſeptem, definitio, genus, ſpecies, proprium; de quibus altero libro egimus: ſub proprio comprehenduntur paſſio & differentia. Idem interdum & pars & totum poteſt eſſe ad diverſa relatum, ut manus pars corporis, totum ad pollicem & digitos. Totum & pars & conjugata non egent explicatione. Circa ſubſtantiam ſunt adjacens, actus & ſubjectum. Adjacens eſt modus qui ineſt ſubjecto,& id denominat, ut juſtitia homini. Actus & actionem & paſſionem (quas ſuprà finivimus) continet. De ſubjecto etiam antè dictum eſt. Locus externus dividitur in cognata, applicita, accidentia,& repugnantia. Cognata, cauſas & eventa continent. Cauſa eſt, ad quam aliquid ſequitur.

Materia ex qua
Forma per quam } *aliquid fit.*
Efficiens à qua
Finis cujus gratiâ

Materiam & formam inter partes ſupputat Agricola

Eventum vocat, quod ad causam sequitur: alii effectum dicunt: is tamen id solùm effectum dici contendit, quod ex efficiente producitur, & destinatum quod ex fine. Applicita dicuntur, locus, tempus, & connexa. Tempus & locus nihil sunt hîc aliud, quàm prædicamenta Quando & Ubi, de quibus in suis locis priùs egimus. Solent oratores tum in accusatione, tum in defensione, tempus & locum inprimis diligenter observare, & indè ducere argumenta. Connexa dicuntur, quæ cùm extra rem sunt, eam tamen denominant: ut regnum regi. Accidens quinque habet species, contingentia, pronuntiata, nomen rei, comparata, & similia. Contingentia sunt accidentia, quæ circa rem contingunt, eâ conditione, ut fine eis res, & illa fine re existere possint: ut pallor ante ægrotationem, & jurgium ante cædem: potest enim quis pallere, ut non ægrotet: & ægrotare, ut non palluerit. Pronuntiata sunt dicta, & scripta authorum, & quorumcunque de rebus significationes: quidam, à testibus: philosophi inartificialem hunc locum dicunt. Nomen rei, vox est ad rem significandam consensu hominum instituta. Inter comparationem & similitudinem hoc interest, quòd in comparatione, juxta Rodolphum, duo in uno, in similitudine verò duo in duobus conferuntur. Exemplum prioris; Catoni licuit sequi bellum civile, ergò & Ciceroni licet sequi bellum civile. Similitudinis exemplum est; Ut equum non reddunt meliorem phaleræ, ità nec hominem fortunæ ornamenta. Repugnantia denique complectuntur oppositа & dissentanea, quæ in primo libro exposita sunt. Si cui videbuntur hæc nimiùm succinctè præcipi, Agricolam consulat, qui eadem fusiùs explicat. Plurimum certè juvaret inventionem, si quis præter locos illos generales in superiore tabula depictos, singulas etiam illorum species (ut in Ecclesiaste admonet Erasmus) ordine, numero, eas animo complecteretur. Multò enim faciliùs loca

ipsa

ipsa seperatim per omnia sua membra ducta, quàm generaliter explicata, argumenta scribenti subministrabunt. Hujus rei gratiâ quondam de inventione tabulam conscripsimus; quæ, si pateretur divisionum multitudo, insereretur hoc loco.

Tabula de inventione, in calcem hujus operis rejecta est.

ANNOTATIONES P. CARTERI in quartum librum dialecticæ *Joannis Setoni.*

De locis.

Locus est communis rei nota, cujus admonitu quid in quaque re probabile sit, facilè inveniri potest: vel, Locus est sedes argumenti. CARTER.

Divisio loci.

Locorum alii sunt { Interni. Externi. Medii.

Locus internus est, quando argumentum sumitur ex locis, qui sunt de substantia rei, de qua quæritur.

Medii loci qui sunt.

Medii loci, sunt loci circa substantiam, qui neque omnino extra substantiam rei sunt, neque ità infixi, ut loci interni.

Loci externi qui sunt.

Externi loci sunt, qui rem quidem attingunt, sed infixi tamen non sunt, neque adhærentes, ut loci medii.

Divisio locorum externorum.

Locus externus dividitur in { Cognata. Applicita. Accidentia. Repugnantia.

Cognata quæ ſunt.

Cognata ſunt, quæ, licèt extra rem ſint, neceſſario tamen quodam vinculo conjuncta ſunt rei: ut efficiens gignit effectum, finis deſtinatum.

Diviſio cognatorum.

Cognatorum alia ſunt { Cauſæ. / Eventa.

Cauſa eſt, cujus vi aliquid fit.
Eventum eſt, quod ex cauſis oritur.

Quæ ſunt applicita.

Applicita ſunt, quæ dant rebus habitudinem & nomen: Eorum aliud rem ipſam complectitur, ut, locus: aliud actus ipſius metitur, ut, tempus: aliud quodam modo cum re cohæret, ut connexa.

Accidentia quæ ſunt.

Accidentia ſunt, quæ cùm extra ſubſtantiam rei ſint, nullâ neceſſitate cum re cohærent: ut ſive ipſa eveniant, ſive non eveniant, res nihilominus eſſe vel non eſſe poſſit.

Repugnantia quæ ſunt.

Repugnantia eſt diſſidens per ſe rerum habitudo, quâ fit ut alterum, ipſum quod alterum eſt, nullo modo dici poſſit.

Repugnantia. { Oppoſita. / Diverſa.

Oppoſita ſunt quæ repugnant, ut unum uni, unâ ratione.
Diverſa ſunt quæ repugnant, ut unum pluribus, vel plura uni.

De definitione.

Definitio eſt oratio, quâ quid ſit res explicatur.

Regula.

Nulla vera eſt differentia in definitione, propter intellectus noſtri imbecillitatem: ſed pro veris ſumuntur, quæcunque veris ſunt proximæ.

Locus communis definitionis.

Cui tribuitur vel adimitur definitio, eidem attribuitur vel adimitur

adimitur definitum. Itémque cui definitum adimitur vel attribuitur, eidem etiam & definitio: ut liberalitas est virtus, ergò est mediocritas duorum vitiorum.

De genere secundum inventionem.

Genus est prædicabile de pluribus, sive specie differentibus, sive numero, in quæstione quâ quid sit dicitur.

Regula.

Individuum à specie, nec species à genere secernuntur secundum inventionem, si cum individuo conferatur.

Loci communes.

1 *Sublato genere, tollitur species: posito genere, non continuò ponitur species.*

2 *Quod attribuitur vel adimitur universo generi, id tribuitur vel detrahitur cuilibet ejus speciei: ut, Sensibile prædicatur de animali: ergò de homine & bruto prædicabitur.*

De specie.

Loci communes.

1 *A specie ad genus argumenta ducuntur affirmativé: ut, Scipio consul est: ergò, magistratus.*

2 *A genere ad singulas species argumenta ducuntur negativé: ad omnes verò species ducuntur affirmativé.*

3 *Cui species convenit, ei conveniet & genus.*

Cautio.

Nulla est argumentatio à termino diminuente: ut, Est mortuus homo, ergò, est homo: Imò non est, sed cadaver.

De proprio.

Proprium est prædicabile, quod convenit omni, soli, & semper: ut, posse loqui, hominis proprium.

Regulæ.

1 *Proprium sub se complectitur differentiam.*

2 *Inter proprium & differentiam re ipsâ nihil interest, sed solâ comparatione differunt: nam proprium dicitur quatenus ad suam speciem refertur, quatenus verò ad alienam speciem vel ad genus refertur, differentiæ nomen obtinet: ut, rationale*

homini comparatum, est proprium; animali verò vel bruto, est differentia.

Locus communis.

Posito proprio vel differentiâ, ponitur & species: & sublato proprio vel differentiâ, tollitur species: ut, Dialecticus est, ergò probabiliter disputare potest: & è contrario modo; ut, Non potest probabiliter disserere, ergò dialecticus non est.

De toto.

Totum est, quod ex partibus est constitutum.

Totum duplex: { *Universale.* / *Integrale.*

Loci communes.

1 *Posito toto, partes inferuntur: ut, Dialecticus est, ergò tenet artem inveniendi & judicandi.*

2 *Sublato toto, non continuò partes auferuntur: ut, Domus non est, ergò parietes absunt, non sequitur.*

3 *Argumenta sequuntur affirmativè à toto ad partem principalem: ut, Corpus est, ergò est caput. Negativè non sequitur à parte minùs principali.*

4 *A parte principali ad totum argumentum sequitur negativè: ut, Radix non est, ergò nec arbor est.*

5 *A toto ad partes, & ab omnibus partibus ad totum, argumenta ducuntur & affirmativè & negativè.*

De partibus.

Partes totius sunt membra.

Divisio partium.

Partium aliæ sunt { *Substantiæ.* / *Quantitatis.* / *Qualitatis, sive virtutis.*

Divisio partium substantiæ.

Partium substantiæ aliæ sunt { *Constituendæ.* / *Constitutæ.*

Partes rei constituendæ sunt, quarum siqua desit, & rem & nomen rei deesse necesse est: ut materia & forma rei naturalis;

naturalis, veluti corpus & anima, hominis partes; lignum & vita, arboris.

Partes rei constitutæ sunt partes integrales, quæ collatæ rem integram absolvunt: ut, Pectus, venter, &c. constituunt corpus.

Pars substantialis quid.

Pars substantialis est, cujus totum substantia est, & partes ejus substantiæ sunt: ut manus & corpus.

Partes quantitatis quæ sunt.

Partes quantitatis sunt, cujus totum quantitas est, & partes ejus quantitatis sunt: ut, Pedale, bipedale: binarius, ternarius.

Partes virtutis quæ sunt.

Partes virtutis sunt, quando species ipsæ inter se comparantur secundum qualitates: ut, Plus roboris Achilli, quàm Ajaci: Plus luminis solis, quàm lunæ.

Divisio partium integralium.

Partium integralium aliæ sunt { Similares. / Dissimilares.

Partes similares sunt, quarum idem est nomen totius & partium: ut pars aquæ est aqua.

Dissimilares partes, quarum idem nomen non est totius & partis: ut, nec lignum nec vita arbor est.

Partium dissimilarium {
- Præcipuæ, quæ sine rei pernicie abesse non possunt: ut caput.
- Minùs præcipuæ, sine quibus totum constare potest, tamen mancum: ut manus, &c.

Locus communis.

Sublatis partibus præcipuis totum tollitur, & ipsis positis infertur & totum: ut, Dialecticus non est, quia non cognoscit modum inveniendi & judicandi.

De conjugatis.

Conjugata sunt, quæ ab uno orta variè commutantur. Hæc definitio non convenit omnibus conjugatis. Con-

Conjugata

1 Nomine tantùm, } ut { Vinum, vinolentus.
2 Re tantùm, } ut { Somnus, dormiens.
3 Nomine & re, } ut { Justitia, justus, justé.

Abstracta propriè dicuntur ipsa conjugata: concreta verò & adverbia, casus.

Communis locus.

Tributo vel remoto uno conjugatorum, tribuitur vel removetur & alterum, modò sint conjugata re tantùm, vel nomine & re: ut, Temperans est, ergò temperanter se gerit.

De adjacentibus.

Adjacens est, ex quo subjectum aliud quiddam, quàm ex substantia sua nomen ducit: ut, Cicero à substantia dicitur homo: Ab adjacente verò dicitur justus, pater, &c.

Regula.

Pertinent ad adjacentia quantitates, qualitates, atque relata, modò ad subjecta referantur.

Loci communes.

1 *Posito subjecto, ponuntur adjacentia: & subjecto sublato, tolluntur adjacentia: ut, Aurum gravissimum est, quia ei plurimum inest terræ: Gravitas auro hìc adjacens est.*

2 *Si adjacentium unum fuerit in subjecto, videtur & alterum inesse: ut, Cato vir laude dignus, quia prudens est.*

De actibus.

Actus est, ex quo res proposita exerceri afficique dicitur: ut, Dolere, moveri.

Regulæ.

1 *Actus continet sub se prædicamentũ actionis & passionis.*

2 *Oriuntur actus ab adjacentibus pro varietate eorum: ut, A timore oritur timere, &c.*

3 *Quædam, actus nomine sunt, revera tamen adjacentia, & è contrario modo: ut scire, & albere, nomine actus, revera adjacentia sunt, quia significant album & scientem esse. Sic pugna, nomine adjacens, significatione tamen actus, quia*

non

non intelligitur sine agitatione & motu corporis.

Divisio actus.

Actus partim
- A nativis adjacentibus oriuntur.
- Ex illis adjacentibus quæ usu & consuetudine firmantur.
- Ex subitis & momentaneis animi & corporis affectionibus.

Locus communis.

Si actuum unus extiterit in subjecto, videtur & aliter existere in subjecto: ut, Spiritum ducit, ergò vivit.

De subjecto.

Subjectum est, cui accidentia inhærent.

Regula.

Subjectum non est locus circa substantiam per se, sed gratiâ actuum & adjacentium: quia hæc sine subjecto non possunt intelligi.

Loci communes.

1 *Sublato subjecto, tolluntur tum adjacentia, tum actus: ut, Animus non est, ergò nec recordatio est.*

2 *Posito subjecto, ponuntur adjacentia & actus tam nativa, quàm quæ necessitate conveniunt: ut, Ignis est, ergò, calidus est.*

3 *Laudato vel vituperato subjecto, laudantur & vituperantur adjacentia & actus: ut, Hector immortalis est: ergò, præclara ejus facinora immortalia sunt.*

De causa efficiente.

Efficiens est, quæ rei faciendæ præbet operam: ut, Vestiarius efficiens causa vestis.

Efficientia quædam agunt
- Necessitate, *ut Ignis urit.*
- Consilio, *homines (& bruta quædam improprie) agunt.*

Loci communes.

1 *Posità efficiente causâ naturali non impeditâ, sequitur ex necessitate effectus: ut, si aqua sit, non potest non frigefacere.*

2 *Posita*

2 *Positâ causâ voluntariâ, potest sequi effectus: ut, Si faber est, potest domus ædificari.*

De fine.

Finis est, cujus gratiâ aliquid fit.

Finis { *Medius, sive destinatus.* / *Summus.*

Finis destinatus est, qui ad supremum consequendum est comparatus.

Finis ultimus est status cujusque in suo genere perfectissimus: ut ignis, maximè calidum esse.

Regula.

Quod primum est in actione, postremum est in contemplatione, & è contrá.

Locus communis.

Cujus rei finis bonus est vel malus, ipsa quoque res bona vel mala: ut, Pax bona est, ergò bellum gerere bonum est.

De effecto & destinato.

Effecta & destinata uno nomine eventa vocantur, quia ex causis eveniunt: sed effecta efficienti, destinata fini respondent.

Loci communes.

1 *Posito effecto necesse est causam efficientem præcessisse vel adesse: ut, Clavis est, ergò faber ferrarius fuit.*

2 *Sublato effecto, necessariò tollitur efficiens: ut, Felicitas non est, ergò nec virtus.*

De destinato.

Destinata sunt, quæ certo alicui fini & usui sunt addicta: ut, Domus habitationi.

Locus communis.

Quicquid destinato tribuitur vel adimitur, idem & fini tribuendum vel adimendum est: ut, Gladium portare licet, ergò vim vi propulsare licebit.

De loco.

Locus est, quo res quæque continetur: vel locus est, qui rem

rem ipsam metitur ex ratione loci: ut, Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt.

Locus communis.

A loco res laudantur, vel vituperantur: ut, Cantabrigiæ studuit, ergò nullius liberalis artis est expers.

A loco dependet facti conjectura: ut, In collegio est eorum qui probi sunt, ergò ipse quoque probus est.

Qualitas loci, causa est mutationis nominis facti: ut, Rem è loco sacro eripere sacrilegium est, ergò qui eandem rem è loco profano surripuit, furtum commisit.

De tempore.

Tempus est, quod metitur ipsam rem ex temporis ratione.

Divisio temporis.

Tempus aliud

Ex substantia ipsius, — *Ut, nunc, nuper, &c.*
Ex his quæ natura ei accidunt, — *Ut, æstas, hyems.*
Ab hominibus, — *Ut, adolescentia, pueritia.*

Locus communis.

A tempore, res, facta, vel personæ laudantur, vel vituperantur: ut, Civis externæ indolis est, qui calamitatem reip. non luget.

De connexis.

Connexa sunt, quæ non circumstant quidem rem, ut locus & tempus; mutuam tamen capiunt indè denominationem: ut, Priamus à substantia dicitur homo, à connexis dives.

Discrimen inter connexa & adjacentia.

Differunt connexa ab adjacentibus, quia adjacentia inhærent in subjecto, & sine eo esse non possunt: ut, Sapiente extincto tollitur sapientia. At connexorum alterum potest esse sine altero, ut Mortuâ uxore, quanquam nomen tollatur, ipse tamen remanere potest.

Locus communis.

Connexa sese mutuò inferunt & tollunt: ut, Præceptor non est, ergò discipulum non habet.

De

Joannis Setoni

De contingentibus.

Contingentia, nomen rei, pronuntiata, comparata, & similia, uno nomine prædicamentalia accidentia vocantur. Contingentia sunt, quæ contingenter circa rem eveniunt.

Contingentia alia

Antecedunt rem,
Adjuncta sunt rebus, } ut { Jurgium ante cædem. Clamor in cæde.
Consequuntur, { Fuga post cædem.

Loci communes.

Ab antecedentibus: ut, Milites imperatoris jussui parent: ergò, Fortiter pro repub. sunt dimicaturi.

Ab adjunctis: ut, Vir pallidus est: ergò, morbo afficitur.

A consequentibus: ut, In pedes se conjecit: ergò, fugit est reus.

De nomine rei.

Nomen rei, est vox ad rem significandam consensu hominum destinata.

Regula.

Nomen rei, sive interpretatio nominis, est locus internus, & ad definitionem refertur, si respiciamus nomen, cujus est interpretatio: sin autem respiciamus rem, vel subjectum, est locus externus, & accidit rei.

Loci communes.

1 *Argumenta à nomine rei tribus modis sumuntur. Primo modo, à nomine, vel interpretatione nominis. A nomine: ut, Cato philosophus est: ergò, sapientiam studiosè colit. Ab interpretatione nominis: ut, Sapientiæ studiosus est: ergò, est philosophus.*

2 *Secundo modo ab homonymia, sive ex agnitione: ut, Venerabile est nomen regis: ergò, subditi eum colere debent.*

3 *Tertio modo ex translatione, cùm nomen aliquod per metaphoram, à genuina sua significatione ad non propriam transfertur: ut, Dido vulnus alit venis, & cæco carpitur igni: ergò, amore est incensa. Ignis hic sumitur pro amore.*

De

De pronuntiatis.

Pronuntiata ſunt teſtimonia ab authoritate proficiſcta, ut ſententiæ clarorum virorum, leges, &c.

Pronuntiatorum alia, { Divina, ut, oracula, vatum prædictiones. / Humana, ut, leges, dicta ſapientum, opinio vulgi.

Subdiviſio.

Pronuntiatorum alia

Antecedunt rem, / Conjuncta ſunt rebus, / Conſequuntur, } ut { Vatum prædictiones. / Præſentium laus. / Sermo de præteritis.

Locus communis.

1 *Fides in quavis arte peritiſſimis eſt adhibenda: ut, Vates promittunt victoriam: bellum igitur eſt ſuſcipiendum.*

2 *A Pronuntiatis argumentum præcipuè ſumitur affirmativè, aliquando tamen negativè, ut in divinis, & in aliis multis: ut, Oraculum vetat pacem componere: Paci igitur non eſt conſentiendum.*

De comparatis.

Comparata ſunt, quæ conferuntur in uno tertio, quod eſt ambobus commune: ut, Licuit Achilli ducem eſſe, ergò licuit Hectori.

Regula.

Comparativa ea dicuntur, quæ majora ex minoribus, vel minora ex majoribus, vel paria ex paribus probant.

Loci communes.

1 *A majore ad minus, argumentum ſumitur negativè tantùm: ut, Hector non potuit Græcos vincere: ergò, nec Memnon potuit.*

2 *A minore ad majus argumentum ſumitur affirmativè: ut, Paris potuit interficere perfidum Ulyſſem: ergò, Troilus potuit.*

3 *A pari argumentum ſumitur tam affirmativè, quàm negativè: ut, Licuit Paridi tergum dare hoſtibus: ergò, Polydamæ licuit.*

Coro-

Corollarium.

1 *Quod in re majore non valet, nec valebit in minore.*
2 *Quod in re minore valet, valebit etiam in majore.*
3 *Quod valet in uno parium, valebit in altero.*

De similitudine.

Similitudo est rerum diversarum inter se collatarum similis quædam affectio.

Discrimen inter comparationem & similitudinem.

Similitudo differt à comparatione, quòd similitudo posita est in qualitate, comparatio verò in quantitate. Et similitudo est duorum in duobus; comparatio, duorum in uno tertio: Ut arbor excisa repullulat, evulsa non refruticat; ità malum si penitus tollatur, non renascitur.

Locus communis.

Quod in uno similium valet, valebit in altero: & dissimilium dissimilis est ratio.

De repugnantibus.

Repugnantia est rerum per se dissidens habitudo, quâ fit ut alterum id ipsum quod alterum est, nullo modo dici potest.

Repugnantium divisio.

Repugnantium duæ sunt species { *Opposita.* / *Diversa.*

Oppositæ sunt, quæ repugnant, ut unum uni.

Diversæ, quæ repugnant, ut plura uni. De his dictum est in primo libro.

Locus communis.

Uno repugnantium concesso rei inesse, alterum tollitur inesse: ut, Est dominus, ergò non est servus.

Locus communis relativorum.

A relativis argumentum sumitur affirmativè, & negativè: ut, Rex est, ergò regnum habet; & è contrá.

A privativis argumentamur negativè & affirmativè: ut, Cæcus est, ergò visum non habet.

Contra-

Contrariorum contraria est consequentia: ut, Virtus est expetenda, ergò vitium est fugiendum.

Cautio.

Contrariorum eadem ratio est, quando unum prædicatum duobus contrariis subjectis est commune: ut, Justitia est habitus, ergò & injustitia est habitus.

Contrariorum contraria est ratio, quando duo contraria prædicata duobus subjectis contrariis conveniunt.

Locus communis à contradicentibus est; ut altera pars verè dicatur de omni re: ut, Virtus est non homo, ergò non est homo.

FINIS.

AD LECTOREM.

QUi reliquum quærit logicam quod perficit artem
Sedulus insignem volvat Aristotelem.
Omnia non possum docuisse, nec expedit; imò
Prudens atque sciens plurima prætereo.
Conabar pueris glaciem præscindere tantúm:
Hoc ubi nactus ero, nil moror ulteriús.

HOc erat in votis perstringere, summus aperto
Flumine quod fundens pandit Aristoteles.
Si potui præstare, juvat, nec præmia facti
Ulla peto; tantùm livida lingua tace.
Si quid Aristoteles, quod non perstrinximus, addit:
Hoc levius nostra lector habebit ope.

IN DIALECTICAM
SETONI.

GUILIELMUS CARTERUS.

OBscura de re succinctè & scribere apertè,
Felicis rara est ingenii bonitas.
Hoc tamen hîc præstat noster Setonus utrunque,
Qui tenebrosa aperit codice multa brevi.

THOMAS WATSONUS.

MAgnum eſt exactè noviſſe elementa loquendi,
Et planè ſenſus diſcutere ambiguos.
Inprimíſque ſtyli concinnum fertur acumen,
Et rebus prudens ponere judicium.
A veris pulchrum eſt certò diſtinguere falſa,
Artibus ingenuis excolere ingenium.
Pro ſumma rerum naturas ſcire putatur,
Sermonem multis perpetuare modis.
Quid non quantumvis clarum ſapientia vincit?
Urbes quæ vaſtas, quæ fera bruta regit.
His aptum concinnat iter dialectica cunctis;
Os, animum, linguam format & ingenium.
Hujus præſidio fines ars quæque tuetur:
Præ reliquis claro nomine digna ducis.
Sordibus aut tenebris, antehac oppleta jacebat;
Nunc quantum, admota luce, nitoris habet!
Hanc operam rudibus præbet Setonus alumnis,
Ornanda hac ætas arte tenella venit.
Eſt brevis, eſt clarus; palmam meritò feret, ut qui
Miſcuerit lumen cum brevitate pari.
Si fructum ex ſtudiis ullum ſperaveris, iſtum
Quin emptum parvo conteris ære librum?

ALBANUS LANGDALUS.

MArmore ſtructa domus, poſtes auro radiantes,
Gloria, luxus, opes, tempore victa cadunt.
Hoc florebit opus cornicum ſecula, dignum
Perpetuò docili poſteritate coli.

THOMAS VAVISORUS.

TEmpore vis parvo logicam, parvo ære parare?
En parvum magnæ ſedulitatis opus!
Hîc breviter diſcas vero diſcernere falſum, &
Themate de quovis cum ratione loqui.

FINIS.

ARITHMETICA MEMORATIVA, SIVE COMPENDIARIA ARITHMETICÆ

tractatio, non ſolùm tyronibus, ſed etiam veteranis & bene exercitatis in ea arte viris, memoriæ juvandæ gratiâ admodum neceſſaria.

AUTHORE GUILIELMO
Buclæo Cantabrigienſi,
Collegii Regalis ſocio.

LIBELLUS AD LECTOREM.

Quiſquis arithmeticam memori vis mente tenere,
Me lege; ſum parvus, commoda magna fero.
Innumeras numeret Buclæus munere grates,
Ex numeris numeros qui meminiſſe dedit.

LECTORI BENEVOLO.

ABstrusam esse & difficilem arithmeticæ, ut cæterarum artium, perceptionem, perceptæ, nisi usus & diligentia adhibeantur, difficillimam retentionem, vetus querela est. Quam cùm veram esse Guil. Buclæus (homo matheseos cognitione instructissimus) expertus fuisset: primùm, ut pristinam industriâ suâ aboleret, quę jam inoleverat, querelam; deinde, ut familiariorem sibi faceret arithmeticæ usum, quem ignorare nullo modo voluit; postremò, ut rem literariam promoveret, cujus amplificandæ dignitati plurimùm semper inserviebat; arithmeticam totam versibus mandavit. In quibus licèt expolitionem & ornatum, quem materia ipsa repudiavit, non sit affectatè secutus; id tamen est valde sanè verisimiliter consecutus, ut magnâ legentium voluptate, fructu verò maximo, typis propagari possit. Nam quæ aliorum libri, prolixitate suâ studiosos sæpiusculè deterrentes, polliceri solent, ea & breviter & satis dilucidè complexus est; ac memoriæ tam præclarè consuluit, ut circumscriptâ hâc, & numerosâ oratione, eam non solùm adjuvâsse, sed confirmâsse etiam visus sit. Tu, lector, istis fruere, & humanitate tuâ effice, ut, Buclæo aliquot abhinc annis defuncto, fœtus iste ingenii sui immortalis esse possit. Erat autem Buclæus (nè nescias) patriâ Lichfeldensis, studio Cantabrigiensis, in Collegio Regio: unde, decursis scientiarum, & honorum academicorum curriculis, amicorum non iniquis sanè pollicitationibus in aulam evocatus est. Hîc verò cùm aliquantisper constitisset, tam charus Edvardo sexto, felicis memoriæ regi, proceribúsque miraculum illum naturæ propter admirabilem mathematicarum disciplinarum peritiam appellantibus, esse cœpit, ut fatis approperantibus, magnum sui desiderium mortuus reliquerit.

T. H.

ARITHMETICÆ MEMORATIVÆ Guil. Buclæi Cantabrigiensis

Prima pars.

Scientia Numerandi.

*Tradit *arithmetice numerorum cognitionem:*
Cujus sunt partes septem; Rectè numerare,
Addere, subtrahere, & bene multiplicare, secare,
Progredi, & apposita radices extrahere arte.

* Propter argumenti difficultatem necesse fuit systole sæpius uti: ut in his, *Arithmētica, Denōminator, &c.* ut & aliis licentiis poēticis.

Canones.

In numeris sedes prior est, quæ proxima dextræ;
Posterior verò, manui quæ proxima lævæ est.
Est numerus primus, qui sede priore notatur.
Circulus extrema nunquam regione locatur.

De numeratione.

Quantum quisque valet numerus numeratio monstrat,
Describitque suis numerum quemcunque figuris:
Quod rectè ut facias, numerorum signa locique
Sunt discenda tibi. Numerorum signa decem sunt;
Quorum significant aliquid per se omnia, præter
Postremum, nihili quæ dicitur esse figura:
Circulus hæc aliàs, aliàs quoque cyphra vocatur,
Quæ supplere locum nata est, non significare.
*Hi *characteres, prima si sede locentur,*
Significant se simpliciter; positique secundâ
Significant decies se; quòd si tertius illis
Obtigerit locus, ad centum se porrigit usque
Summa; locus quartus solus tibi millia fundit;
Et quartum quintus decies complectitur, húncque
Tantundem sextus superat: Quid multa? sequens cùm
Quisque locus soleat decies augere priorem.

* Ecthasis.

Ratio numeros tum scribendi tum exprimendi.

Scripturus numerum, à dextris fac incipias, hinc
In lævam tendens, donec conscripseris omnes.

Pòst, signa minimis loca quaternaria punctis.
Punctáque quot fuerint, totidem tibi millia monstrant.
A læva verò numerorum expressio fiat.

Numerorum divisio.

Triplex est numerus; digitus, vel articulus, vel
Compositus. Digitúsque decem semper minor est, ut
Quinque, duo, quatuor, tria, sex, septem, octo, novémque.
Articulúsque decem partes qui suscipit æquas;
Vt quinquaginta, sexcenta, triginta, decemque,
Et numerus cuicunque cyphra præfixa figura est.
Compositus numerus qui ex his conflatur utrisque est;
Quales sunt omnes, quorum non ultima cyphra est.

Canones.

Additio, subtractio multiplicatio, dextrâ:
Fit divisio, fit radicum extractio lævâ.

De additione.

Additio plures numeros conjungit in unum.
Addendos primùm numeros hoc ordine scribe,
Primum sub primo numerum ponendo, secundum
Súbque secundo, tertium item sub tertio, & isto
Pone modo reliquos, fuerint quotcunque, figuras:
Sub quibus inferiùs ducatur linea recta.
Quo facto, numeros, qui sunt primi ordinis, omnes
Collige: Si digitus provenerit, inferiùs mox
Scribatur rectè: Articulus sin proveniat, tunc
Circulus inferiùs ponatur, cúmque sequenti
Articulus serie jungatur: Compositus si
Exierit, digitum subscribas, articulúmque,
Vt priùs, ad seriem numerorum junge sequentem.
Hócque modo primis seriéque locóque peractis,
Quæ sequitur series, tibi protinus aggredienda;
Vtque priore loco fecisti, prorsus agendum est,
Donec, si plures, series collegeris omnes.
Subscriptus numerus quæsitam dat tibi summam.

Examen.

Tolle novem addendis numeris quotiès potes, atque

Quod

Quod ſupereſt adverte; novem quoque tollito ſumma.
Si videas reliquum reliquo par eſſe priori;
Indicio eſt, errore tuum caruiſſe laborem.

De ſubtractione.

Æquali ex numero æqualem ſubtractio demit,
Aut ex majori tollit minuítque minorem.
Scribe ſuprà numerum de quo ſubtractio fiet,
Inferiùs ſubducendum ſubſcribito rectè,
Primum ſub primo, veluti fit in additione;
Et poſitis numeris mox linea recta trahatur.
Tunc numerum primum primi ordinis inferioris
A ſuprapoſito numero ſubducito, quicquid
Reſtiterit ſubſcribendo; ſimili ratione
Ordinibus reliquis facies: ſummámque relictam
Subſcriptus numerus, ſi rectè opereris, habebit.
Si ſubducendi numeri fuerit numerus quis
Major eo, qui ſuprà ponitur: articulus tunc
A ſerie, quæ conſequitur, demetur; & ille
Jungendus numero eſt, quo tandem ſit ſatis, unde
Inferior numerus tolli queat; atque ſequenti
Semper reſtituas unum numero inferiori.

Examen.

Tollendum numerum cum ſumma junge relicta:
Si prior exierit numerus, ſubtractio juſta eſt;
Sin minùs, errorem te commiſiſſe putabis.

De multiplicatione.

Eſt numerum in numerum diducere, multiplicare;
Ex cujus ductu numerus producitur, in ſe
Contineat toties numerum qui multiplicatum,
Multiplicans quoties in ſe complectitur unum.
Scribatur primò numerus qui multiplicari
Debeat, & rectè ſub eodem multiplicantem
Ponito; ducatur ſolito mox linea more:
Et numerum primum ſeriei multiplicantis
Multiplica in cunctos ſeriei multiplicandæ,
Inferiùs ſcribens quicquid producitur; atque

Si plures fuerint numeri tibi multiplicantes,
Omnes in numerum deducito multiplicandum,
Semper ſubſcribens quicquid producitur, idque
Rectè ſub numero ſcribatur multiplicante.
Et quia quot fuerint numeri tibi multiplicantes,
Productos totidem numeros quoque adeſſe neceſſe eſt,
Idcirco hos omnes conjunge per additionem.
Subſcriptus numerus, productus jure vocetur:
Nam, quam quærebas, ſolet hic producere ſummam.

Examen.

Divide productum numerum per multiplicantem:
Si nihil errâſti, prodibit multiplicandus.

De diviſione.

Oſtendit numeri quaſvis diviſio partes.
Ponatur numerus ſuprema parte ſecandus,
Lineoláſque duas illi ſupponito rectas,
Diviſor ſub eis ponatur parte ſiniſtrâ.
Deinde vide quoties diviſor contineatur
In ſuprapoſito numero, quotiénſque locetur
In ſpatio: mox & diviſorem per eundem
Multiplica, totúmque quod hinc provenerit, auſer
Supremo ex numero, ſuprà ponendo relictum,
Transfigens numerum de quo ſubtractio facta eſt.
Si plures numeros contingat adeſſe ſecandos,
Diviſor dextram verſus tibi promoveatur
Unam per ſeriem. Rurſus quoque quærere oportet
Diviſor quoties in eo, qui dividitur, ſit;
Et quotientem intra ſpatium deponere, ut antè.
Sic reliqua abſolvas prorſus quæcunque ſuperſunt.
Nec labor hic quicquam diſtat variátve priori:
Sin, qui dividitur, fuerit minor inferiori;
Supremo intacto, diviſor progrediatur,
Et medio in ſpatio ponatur cyphra; modoque
Hoc facies, donec ſummam diviſeris omnem.

Modus ſcribendi reſiduum.

Si quid reſtiterit poſtquam diviſio facta eſt,

Id ſupra ſcribi diviſorem ſolet omne:
Inter & hos numeros eſt linea parva trahenda,
Quæ fractum numerum, non integrum notet eſſe.

Rei totius brevis comprehenſio.

Divide, multiplica, ſubduc, transferque ſecantem.

Examen.

Per diviſorem quotientem multiplicabis;
Producto reliquum, ſi quod fuit, adde: priórque
Exibit numerus, niſi te deceperit error.

De progreſſione arithmetica.

Si plures numeri ſe æqualiter exuperârint,
Hos facilè in certam rediget progreſſio ſummam.
Poſtremo primum numerum ſuperaddito, totum
In numerum ſeries monſtrantem multiplicabis,
Productum medies; exibit ſumma petita.

De progreſſione geometrica.

Cùm per inæquales exceſſus progrediantur
Propoſiti numeri, proportio ſit tamen una,
Illa geometriæ progreſſio dicitur eſſe.
Poſtremum numerum ducas in multiplicantem,
Qui docet unde ſuum ducat proportio nomen,
Producto demas primum, partire relictum
Per numerum numero qui tantùm ſit minor uno
Quàm fuerat quocum reliqui ſunt multiplicati:
Quæſitámque volet quotiens oſtendere ſummam.

Examen utriuſque progreſſionis.

Propoſitas ſeries à tota ſubtrahe ſumma:
Si nihil errâſti, nihil hîc reſtare videbis.

De extractione radicis quadratæ.

Quadrare, eſt numerum ſemel in ſe multiplicare.
Quærere radicem, numerum eſt exquirere qui in ſe
Ductus propoſitam poterit producere ſummam.
Cujus radicem numeri vis quærere, ſcribe;
Deſcripti alternas punctis ſignato figuras,
Lineoláſque duas illi ſupponito rectas.
Et quia præſenti ſimilis diviſo parti eſt,

A puncto versus lævam incipies operari,
Quærendo sub eo digitum, qui multiplicatus
In se, vel totum, vel magnam tollere partem
Signati puncto numeri possit; digitúsque
Sub puncto in medio spatio scribatur, & indè
In se ducatur; productum tolle supremo
Ex numero, reliquum scribens, ut quando secares.
Dupletur quotiens; producti prima figura,
Si binæ fuerint, versus dextram statuatur
Sub numero punctum cui non supereminet ullum;
Et reliqui numeri ponantur parte sinistra:
Sic novus exergit divisor, qui quoties sit
In supraposito numero, quæras; quotientem
Inventum in spatio sub puncto pone sequenti;
Hunc primùm in se, mox divisorem per eundem
Multiplica; producta duo summam simul unam
Efficiant, numero quæ subducenda supremo est;
Et reliquum solito debes ascribere more.
Dupletur rursus quicquid tibi linea duplex
Suggerit, & duplum divisor erit novus, húncque
Divide per numerum suprema parte relictum,
Cæteráque expedias quadrando, multiplicando,
Hinc subducendo, suprà ponendo relictum:
Quod facies donec numeros percurreris omnes.
Si semel in reliquo duplum non possit haberi,
Pone cyphram in spatio, divisorémque novato.

Examen.

Quadra radicem, quadrato junge relictum,
Si modò quid fuerit: numerus si prodeat idem
Cum primo, rectè est; si non, opus est iterandum.

Modus colligendi minutias ex residuo.

Duplo radicis numerus superadditur unus:
Producto numerum mox suprascribe relictum,
Lineola adjecta numeros quæ separet ambos.

Primæ partis arithmeticæ memorativæ finis.

ARITH.

ARITHMETICÆ MEMORAtivæ Guil. Buclæi Cantabrigiensis

Pars secunda.

De fractionibus.

Hactenus integros numeros absolvimus; horum
Tradere nunc partes, ordòque, locúsque requirit.

Modus scribendi, atque exprimendi fract.

1 *Quælibet est numeris pars describenda duobus;*
Denominatorem, numeratorémque notamus.
Hic semper suprà, reliquus describitur infrà;
Queis interponi consuevit linea parva.
Fiat & ut recto, mos est, expressio casu.
Integri partes ostendit denominator:
Ex his sumendæ quot sint, monstrat numerator.
Hi cùm sint similes, integrum significatur:
Si summus minor est, minor integro quoque pars est:
Si summus major, plus integro adesse necesse est.

De minutiarum minutiis.

2 *Si pars particulas habeat, priùs has ad eandem*
Duc speciem quicquam quàm progrediaris; & hoc fit
Denominatores in sese multiplicando,
Et numeratores itidem; productáque eorum
Illud habent, numeri quod continêre priores.

Modus reducendi integra in fractiones.

3 *Integra multiplices numerum per denominantem,*
Producto numerum debes subscribere eundem;
Si quæ sint partes, producto has adde priusquam
Coneris numerum subscribere denominantem.

Modus colligendi integra ex fractis.

4 *Divide supremum numerum per denominantem;*
Integra monstrabit quotiens: subscribe relicto
Denominatorem, si quid superabit, eundem.

Reductio ad minimos terminos.

5 *Si fieri poterit, numerum mediabis utrunque;*

Aut

Aut minimum invenias numerum, qui dividat ambos:
Quem sic exquires; Majori tolle minorem
Donec sint similes, qui sit divisor utrisque,
Et producta duo minimos numeros tibi monstrant.
In subducendo si perveniatur ad unum,
Exquiri primis nè credas posse minores,
Contra se primos quos appellare solemus.

Valorem fractionis elicere.

6 *Summum per partes integri ducito notas,*
Productum numerum partire per inferiorem,
Et quotiens quantum valeant fragmenta docebit.

Reductio ad eandem denominationem.

7 *Multiplices in se numeros primùm inferiores,*
Et tibi prodibit communis denominator:
Hinc numeratorem primum per posterioris
Denominatorem ducas, & denominantem
In numeratorem deducito posteriorem;
Et numeratores fient, quos ponere oportet
Supra denominatorem qui servit utrique.

Canon observandus in additione, & subtractione.

8 *Diversi generis cùm sint fragmenta, priusquam*
Addas, aut minuas, transformes in genus unum.

Can. multiplic. & divisionis.

9 *Integra si fractis fuerint admista, reducas*
Hæc in particulas; tum demum multiplicare,
Partirique potes, veluti si fracta fuissent.

10 *Integra per partes si debent multiplicari,*
Aut scindi, integris unum supponito, tanquam
Pars sit, per canones reliquúmque absolve sequentes.

Additio in fractis.

Efficiant summam numeratores simul unam,
Et subscribatur communis denominator.
Si plures fuerint series, absolvito primas,
Productæ series jungatur tertia summæ.

Sub-

Subtractio.

Hîc numeratori majori tolle minorem,
Et reliquo debet ſubſcribi denominator.
Si ſit ab integris pars ſubducenda, reſolvas
Unum integrorum in partes quas denominator
Continet; & poſitas mox hinc ſubducito partes.

Multiplicatio.

In ſummum ſummus ducatur, & imus in imum.

Diviſio.

Fac tranſponatur primùm diviſor uterque,
Cæteráque expedias veluti cùm multiplicares.

Propoſitis aliquot fractionibus, quæ earum major ſit cognoſcere.

Poſteaquam partes nomen redigantur in unum,
Cujus erit ſummi proportio major ad imum,
Illius & merito dicenda eſt fractio major.

Radicis quadratæ extractio in fractis.

Sicut in integris, radices erue fractis,
Si modò quadrati numeri ſint fracta; alioquin
Fruſtra radices veras quærendo labores.

Radices veris proximas in fractis elicere.

Multiplica numeratorem per denominantem,
Producti radix numerator erit novus, illi
Denominatorem recta ſubſcribe priorem.

Idem exactiùs tam in fractis, quàm in integris præſtare.

Quadrando numero ſenas præfigito cyphras,
Productum quadra, radix per mille ſecetur:
Integra dat quotiens, & pars ità recta manebit,
Radici ut veræ nè pars milleſima deſit.

Modus formandi numeros ad auream regulam.

Eſt primo res empta loco, pretiúmque ſecundo,
Poſtremo numerus de quo fit quæſtio habetur,
Qui ſolet ejuſdem cum primo nominis eſſe.

Praxis

Praxis regulæ.

Tertius in medium numerus tibi multiplicetur;
Productum numerum per primum divide; quicquid
Exeat, ignotam credas ostendere summam.

Examen.

Ex primi in quartum ductu producitur idem,
Quem medii facient numeri in se multiplicati.

Regula trium eversa.

Ut suprà, sic hîc numeros disponito: deinde
Duc primum in medium, divisor tertius esto.

Examen.

Tertius in quartum ductus producit eundem,
Quem simul efficiunt ducti prior atque secundus.

Regula combinationis.

Quot fuerint numeri, quos combinare velimus,
Tot sint & series, quibus est proportio dupla,
Quarum principium ducatur semper ab uno.
Omnes has series conjunge per additionem.
Producto numeros, quot combinatio constat,
Aufer: quod superest, numerum citat, unde patebit
Quot faciant numeros distinctos, undique si quis
Propositos numeros velit in se multiplicare.
Si nihil à summa prædicta surripiatur,
Restabunt partes aliquotæ, quæ numerabunt
Illum, qui numeros est inter maximus omnes,
Ex ductu in sese numerorum provenientem.

Regula societatis.

Omnium sortes simul in priori
Sint loco, lucrum sequitur secundo,
Singulas sortes habet explicatas
Tertius ordo.
Hoc modo cùm sint numeri locati,
Aurei leges canonis sequaris,
Qui tibi summas facili petitas
Proferet arte.

Regula falsi.

Pone aliquem numerum, quocum procede quousque
Veneris ad notum numerum: Si irrepserit error,
Ad latus hunc scribas cum signo plúsve, minúsve.
Ponito mox alium, simili quoque pergito formâ,
Errorem, si quis fuerit, signúmque notando.
Duc positum primum errorem per posteriorem,
Atque secundum itidem primus multiplicet error;
Signáque si fuerint eadem, tollatur oportet
Productum minus à majori, errore minori
Majorem tollas etiam, scindásque relictum
Productorum per numerum ex errore relictum:
Prodibit inventies numerum in quotiente petitum.
Signum si signo variet, producta duo addas,
Errorésque ambos in eandem collige summam;
Quæ productorum summam dispescere debet:
Quæsitus numerus mox in quotiente patebit.

Regula alligationis.

Ordine composito numeros dispone ligandos,
Illis præscribens ad quem collatio fiet;
Omnes tum minimum semel huic conferto, minorum
Excessum ascribens majoribus, & vice versâ
Majorum excessus adscribe minoribus; indè
Omnes excessus in certam collige summam,
Quæ tibi sit primus numerus; positúsque seorsim
Quilibet excessus numerus tibi tertius esto;
Commiscendarum rerum numerus statuatur
In medio, aut alius quem res quæsita ministret:
Dispositis numeris hoc ordine, quod superabit,
Aurea ad optatum perducet regula finem.

FINIS.

Περὶ τ χρείας τ ἀριθμητικῆς τέχνης.

Μέτρου τε, σάθμου τε, ζυγόν τε, χἤσον ἀριθμοὶ
Εὗρον μὲν πρῶτοι τὸς δὲ δικαιοσύνη.
ΕΝ ΔΕ ΔΙκαιοσύνη συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.
Οὐ τι δίκαιος ἄρ' ἦν πᾶς ἀνάριθμος ἀνήρ.

Ῥαδάλφος ὁ Ὀυιντερτώνυς.

EPITAPHIUM
Guil. Buclæi.

ABdita Buclæus cupiens myſteria cœli
Pandere, (quæ potuit pandere nemo ſatis)
Exoptat ſurſum ferri cœlóque locari,
Et ſanctum immenſi limen adire Dei.
Audiit Omnipotens, nec durus vota repellit;
Buclæum terra tollit, in aſtra vehit.
Ille loci miro captus ſplendore, Deíque;
In terram renuit jam revocare pedem.
Nec veram cœli faciem, nec gaudia curat
Pingere, nec ſolita conficit arte globos.
Nectare & ambroſia fruitur, fruitúrque beatâ
Pace, nec, hic mundus quæ putat ampla, probat.
Eſt felix, Buclæe, tuæ mutatio ſortis,
Conveniens animi dotibus illa tui.

G. B. T. H. P.